Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Tractatus Ethico-Physicus De Passionibus, ubi Affectus omnes tum generatim tum speciatim considerantur

Gentzke, Friedrich

Kiloni, MDCCVII

VD18 13052500

urn:nbn:de:gbv:45:1-14040

Visual Library

V.
46

TRACTATUS ETHICO-PHYSICUS DE PASSIONIBUS,

ubi

Affectus omnes tum generatim tum ſpeciatim conſiderantur, eorumque natura, proprietates, diverſæ ſpecies, objecta peculiaria, phyſici characteres, ſingularia phœnomena, naturalis & moralis uſus, varii abuſus, horumque moralia remedia juſto ordine ſuccincte ſiſtuntur

per

M. FRID. GENTZKEN.

KILONI,
Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.
Anno MDCCVII.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Farbkarte #13

B.I.G.

Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

PERILLUSTRI ac EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DOMINO MAGNO

A

WEDDERKOP,

HEREDITARIO DOMINO IN STEINHORST, MOISLINGEN, TANGSTED, SEEGARDEN ET MAGNUSWORD.

SERENISSIMI DUCIS REGENTIS SLESWICI ET HOLSATIÆ PRÆSIDI CONSILII SANCTIORIS, CONSILIARIO ITEM PROVINCIALI, PRÆFECTO SUMMO IN TREMSBUTTEL, ET CAPITULI LUBECENSIS CANONICO.

NEC

Landesbibliothek Oldenburg

NEC NON

REVERENDISSIMO ac MAGNIFICO

DOMINO,

DOMINO HENRICO MUHLIO,

SS. THEOL. DOCTORI, ECCLESIARUM SLEVICO-HOLSATICARUM SUPERINTENDENTI GENERALI, IN SUPREMO SENATU ECCLESIASTICO CONSILIARIO, CONCIANATORI AULICO PRIMARIO AC PRÆPOSITO, PROFESSORI ET THEOLOGO IN ACADEMIA KILONIENSI ORDINARIO

CURATORIBUS

ALMÆ UNIVERSITATIS NOSTRÆ

SPLENDISSIMIS

DOMINIS PATRONIS ac PROMOTORIBUS

OMNI OBSERVANTIA PIETATISQUE CULTU DEVENERANDIS

IN STUDIORUM SUORUM

ULTERIOREM COMMENDATIONEM,

QUALECUNQUE HOC

MONUMENTUM LITTERARIUM

DAT, DICAT, CONSECRAT.

CLIENS ET SERVUS HUMILLIMUS

FR. GENTZKE.

Nou

Landesbibliothek Oldenburg

On longe arcessendæ sunt rationes, quas temeritati, ne dicam impudentiæ meæ purgandæ adducere hic possim, quod levidense hocce scriptum Perillustribus ac Reverendissimis Vestris Nominibus insignire audeam. Cum enim Vobis cura & inspectio hujus nostræ Academiæ summa Principis auctoritate clementissime demandata, me obligatum intellexi, hoc modo Perillustri Vestræ Excellentiæ ac Reverendissimæ Vestræ Magnificentiæ rationem studiorum meorum reddere, signum humillimi cultus exhibere, gratiasque maximas persolvere, quod sub Vestris auspiciis Musæ meæ sua agere hactenus potuerint. Et quoniam favor ac propensio Vestra erga litteras litterarumque cultores multis nec inanibus argumentis satis mihi perspecta, simul tenues meas Musas summo Vestro patrocinio commendare non erubesco, ea spe fretus fore, ut Vos, Ajaces Maximi, pro innata Vestra humanitate me Vobis devotissimum Teucrum benevolentiæ scuto protegere ne dedignemini. Porro quidem moris esset, in virtutibus Vestris celebrandis &

Landesbibliothek Oldenburg

laudibus recensendis fusius excurrere; sed ingenue fateor, famam Vestram longe superare omnia mea & aliorum encomia, meque multo sanctius devenerari Vestra Magna Nomina, si eadem sacro potius silentio admirer, quam incommode garriendo magnificare satagem, id enim perinde esset, ac si soli lucem & mari aquam affundere vellem. Quodsi Cl. Hobbes inter signa honoris etiam referat, preces deferre, *denuo Perillustrem Vestram Excellentiam & Reverend. Vestram Magnificentiam enixe rogare sustineo, velitis vultu benigno fronteque serena tenuem hunc ingenii mei foetum accipere, ipsique favore Vestro animam addere, mihi vero, ut inter clientes & cultores Vestros numerer, benigne concedere. Ita Deus vos sospitet, Patriæque & Vestris longissime incolumes præstet. Kiloni Holsatorum, a. d. 1. Octobr.* CIↃ IↃCCVII.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CAusa, B. L. quæ me Tractatum hunc conscribendi & in lucem edendi commovet, cupido fuit, ut mihi aliisque studium Pathalogicum facilius redderem. Diffiteri enim nequeo, multa frigidissime ac maxima cum confusione & dissensu de Passionibus hinc inde esse tradita, quæ vero a viris doctis, inter quos numero Cartesium, Gassendum, Malebranchium, Hobbesium, Bonteköe, Wesenfeldium, & e Gallis Dn. Besse, Senault, la Chambre &c. &c. partim sparsim, partim prolixe satis sint scripta, illa in breve quodammodo compendium redegi & justo ordine proposui, quantum quidem ad fundamentum hujus doctrinæ pertinere credidi; hoc autem rite positum esse præsumo, si physica & moralis passionum explicatio conjungatur, & illa via ac ratione, cujus in rubro hujus libelli mentionem injeci, per singula capita eadem pertractentur, id quod sollicite semper a me observatum esse, inspicienti facile patebit. Novi enim solidam de affectibus doctrinam multiplicem ac ineffabilem in eruditione præstare utilitatem, sane sine illa nullus auctor recte intelligi, *nemo recte* doceri, *nec quicquam alicui* persuaderi, *nemo vel seipsum vel alios* cognoscere, *nil in* exploranda veritate ac sanandis morbis *cum fructu præstari, quinimo nec in* Ecclesiasticis, *sive corripiendo sive consolando sapienter versari poterit. Quare hac mea opera juvenes manu quasi ducere volui, ut prius generales ac distinctiores conceptiones de hac doctrina sibi forment, quam amplissimo huic studio, cui per totam vitam incumbere multum expediet, se committant. Eo nomine mihi, forsan & aliis præsens libellus inserviet, ut secundum illius ductum prælectiones meas instituam, quæ scripta sunt explicando, & singulariores observationes addendo. Vale conatibusque nostris fave.*

Con-

Landesbibliothek Oldenburg

Conſpectus totius Libri.

Pars Generalis.

PRÆLIM. de Paſſionum ſubjecto - - pag. 1
CAP. I. de Natura & indole Paſſionum - 3
CAP. II. de Paſſionum moralitate - - 10
CAP. III. de Paſſionum uſu & utilitate - - 13
CAP. IV. de Affectuum abuſu & damno - 16
CAP. V. de Affectuum remediis - - 20
CAP. VI. de Paſſionum diviſione & numero - 26

Pars Specialis.

CAP. I. de Admiratione: huic capiti ſubjiciuntur 33
duo membra (1) de Exiſtimatione & 39
contemtu in genere, (2) de Exiſtimatione & contemtu ſui - - 42
CAP. II. de Amore ſui - - - 46
CAP. III. de Amore & Odio - - 50
CAP. IV. de Deſiderio & Averſatione - 64
CAP. V. de Spe & Metu - - - 70
CAP. VI. de Lætitia & Triſtitia - - 81
CAP. VII. de Ira & Benevolentia - - 89

PRÆ-

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆLIMINARIA DE PASSIONUM SUBJECTO.

§. 1.

PAssiones *humanas* sub examen vocare intendimus. Quodsi autem *Hominis* essentiam paululum accuratius inspicimus, illum ex partibus diversissimæ naturæ constare deprehendemus. Intime enim sibi conscius est, se intelligere, judicare, dubitare, velle, nolle, qui effectus non nisi a re *cogitante*, & intrinsecam activitatem possidente provenire possunt; præterea evidenter cognoscit, se spatium occupare, se habere partes ad dividendum, movendum, & certam formam recipiendam aptas, quæ omnia rei *extensæ* & materiali competunt. Inde patet *hominem* esse *substantiam e mente reflexive cogitante & corpore organice extenso compositam.*

§. 2.

Hæ duæ partes firmo nexu sunt unitæ. Consistit autem unio illa mentis & corporis *in mutua reciprocatione (sive commercio) actionum &*

passionum, quam Claubergius *contactum virtutis* adpellat.

§. 3.

Quomodo autem inter corpus & animam, quæ *essentia* sua se contingere nequeunt, hujusmodi actionum & passionum reciprocatio & mutua dependentia evenire possit, dictu perdifficile imo impossibile est. Videtur, quod Deus condendo hominem voluerit illum *Vinculum mundi mentalis & materialis* constituere, ut ex usu rerum corporearum haberet ansam celebrandi benignitatem creatoris. Et quoniam post substantialem & Physicum contactum nil arctius esse potest quam contactus virtutis & operationum, Summum Numen arctissime *certos motus corporis cum certis perceptionibus & commotionibus mentis conjunxit, ut nil corpus quocunque modo afficere queat, quod non æque per animales Spiritus mentem afficiat.*

§. 4.

Hoc ut fieret, necesse erat, siquidem alias homo *corpus suum illæsum conservare* vix poterat, quem in finem opus fuit, ut anima imprimis sentiret, quæ corpus juvarent & læderent. Nec efficacius hoc procurabatur, quam efficiendo, ut juvantia *gratum* sui sensum, lædentia *molestum* animæ communicarent, ita enim mens illa ceu *bona* prosequi

ſequi & velle, hæc vero ceu *mala* evitare & nolle anhelabat.

§. 5.

Voluptas itaque & *Dolor*, ac quæ illorum cauſa *bonum* & *malum* cardines ſunt, in quibus affectus noſtri vertuntur, & ſi animadverterimus, quomodo iſta variis ſub reſpectibus in nobis operantur, facile inde *paſſionum* noſtrarum ideas nobis quam diſtinctiſſime formare poterimus.

§. 6.

Id ipſum ut præſtemus, ad earum pertractationem progredimur, conſtituendo duas Pathologiæ noſtræ partes, *generalem* videlicet ac *ſpecialem*. Uti *hæc* paſſiones ſingulatim ac in ſpecie, ſic *illa* earum *Naturam*, *Moralitatem*, *Uſum*, *Abuſum*, *Remedia* & *Diviſionem* in genere conſiderabit.

Partis Generalis.

Cap. I.

De Paſſionum indole & natura.

§. 1.

Quod Græci πάθη, Cicero *perturbationes*, Quintilianus *Affectus* nominat, vulgo *Paſſiones* vocitamus, ac definimus per

affectiones voluntatis, quibus mens nostra ex repræsentatione boni & mali extraordinarie inclinanatur, & sanguis animalesque in corpore Spiritus ad illius prosecutionem, ac hujus fugam peculiariter agitantur in hominis conservationem. Breviter natura *passionum* consistit in *extraordinaria mentis commotione & extraordinario spirituum & sanguinis fluxu refluxuque.*

§. 2.

Voco ilias *affectiones voluntatis*, quia circa *boni* prosecutionem & *mali* fugam, quod proprium voluntatis est occupantur, & sic contradistinguuntur *affectionibus intellectus*, quales sunt perceptio, judicium, ratiocinatio, dubitatio, assensus &c. qua in re imprimis præter *Veteres Stoicos* (qui passiones per *opiniones* definiebant, easque ad partem animæ cognoscentem pertinere crediderunt) saniores Philosophi concordant: in eo tamen discrepant, quanam scilicet in corporis parte voluntas passiones vel recipiat aut exerceat? fieri id in *corde* alii, alii in *cerebro* statuunt. Atvero res determinatu haut difficilis, suppono enim & *cerebrum* & *cor* esse primaria membra, in quæ mediantibus nervis mens agat, & quia intellectus ac voluntas tantum cogitatione differunt, patet, simul ac mens exerat affectum & *cerebrum* & *cor* moveri, *illud* per Spiritus animales, ut idea boni vel mali conservetur, hoc se vel *dilatando* vel

ape-

aperiendo, ut fluxus ſanguinis vel promoveatur, vel retardetur, quemadmodum paſſioni conveniens erit.

§. 3.

Dixi porro in paſſionibus mentem & corpus *extraordinarie* commoveri, ob ſolito *concitatiores* & *turbidiores* motus, ſiquidem mens ac ſanguis nunquam perinde agitantur atque in affectibus, quare etiam Ciceroni appellantur *Perturbationes*; Et in hoc differunt ab *ordinaria* voluntatis inclinatione & ſpirituum commotione, quæ ſemper *placidior* atque *tranquillior* eſſe ſolet. Sic quando ambulare & ſcribere volo, etiam voluntas inclinatur, agitanturque ejus juſſu Spiritus animales in muſculos, qui eos inflant ac motum in pedibus ad ambulandum, & in manibus ad ſcribendum ſed leniter excitant.

§. 4.

Id quod in nobis paſſiones excitat ſunt res ſub ratione *boni* & *mali* apprehenſæ. Quemadmodum autem illæ vel per ſenſus, vel imaginationem, vel purum intellectum cognoſcuntur: ita & paſſiones vel *à ſenſibus*, ut amor victus ac amictus, cupido voluptatum &c. vel impr. *ab imaginatione*, ut cupido gloriæ, metus &c. vel *ab intellectu puro*, ut deſiderium eruditionis, amor juſti & honeſti &c. ortum trahunt. Ubi obſervandum, rationem in paſſiones ab imaginatione &

ſenſibus dependentes debile modo exercere imperium, easque omnium eſſe vehementiſſimas & radicatiſſimas. Exinde etiam intelliges, quare nonnullis placuit, Paſſiones vocitare *affectiones & modos appetitus ſenſitivi:* nam uti *facultas perceptiva* in mente, quæ ſe exerit per immateriales ideas, dicitur *intellectus purus*, & quæ occaſione corporis ſe exerit, dicitur vel *ſenſus* vel *imaginatio*; ſic *facultas ejus appetitiva*, quæ ſe exerit erga bona abſtracta & immaterialia dicitur *Voluntas*, quæ vero connexa eſt cum ſanguinis & ſpirituum peculiari agitatione dicitur *Appetitus ſenſitivus:* Atque ſic in re ipſa nulla deprehenditur differentia.

§. 5.

Ut autem quo ordine & modo affectuum cauſæ agant, rectius intelligatur, ſequentia, quæ in qualibet paſſione occurrunt, haut obiter attendiſſe juvabit.

Imum eſt, *judicium* mentis ab intellectu latum de objecti *bonitate* vel *malitia*, ſive de relatione inter nos & objectum.

II. Sequitur *nova voluntatis determinatio* verſus illud objectum, quod bonum vel malum judicatur; Ante illam perceptionem voluntas erat indeterminata verſus *bonum in genere.*

III. Illam excipit *novus & peculiaris curſus Spirituum & ſanguinis ad cerebrum, ad viſcera, mem-*

Landesbibliothek Oldenburg

membraque corporis exteriora. Antè perceptionem objecti passionem moventis Spiritus animales (i. e. subtiliores partes sanguinis, quas calor in corde rarefacit, & à quo in totum hominem transeunt) per universum corpus diffundebantur, ut omnes ipsius partes in genere conservarent, sed objecto bono vel malo præsente tota ista perturbatur Oeconomia, quatuor hisce supervenientibus. (1) Nonnulli spiritus cavitates cerebri subeunt, ut ibidem idea objecti depingatur & corroboretur (2) Plerique spiritus in musculos faciei, brachiorum, crurum &c. citato cursu derivantur, ut corpus ita disponant prout præsenti passioni convenit, & motus ad acquisitionem boni vel mali fugam id exigit. (3) Si vero accidit, ut sui cujusque corporis vires id præstare non valeant, spiritus animales certam illi vocem ac clamorem αυτοματως exprimunt, quo alii ad similem passionem commoveri deprehendes, ut eo lubentius laborantibus auxilio sint, quæ arcana concatenatio singulare *providentiæ divinæ argumentum* est, & judice Malebranchio *miraculum* admiratione majus (4) Reliqui Spiritus animales in cor, pulmones, aliaque viscera cum impetu descendunt, ut has omnes partes suppetias ferre cogant, & novum inde commeatum sanguinis, quo spiritus animales pabulum sumunt, eliciant.

IV

Landesbibliothek Oldenburg

IV. Jam oritur *sensibilis animæ commotio*, qua intelligimus celerem dependentiam aliarum cogitationum ab aliis, quarum posterioribus grata vel ingrata perceptio est adjuncta. Inde simul intelliges qua in re constituenda sit natura passionum purarum mentium, quæ in iis suboriuntur simul ac se offert objectum bonum & malum i. e. eorum potentiam vel scientiam &c. adaugens aut minuens.

V. Denique *sensus gratus & suavitas quædam* interior percipitur, quæ omnes affectus, qui ex cognitione boni æque ac mali nascuntur, æqualiter comitatur, animumque blande detinet, ut passioni præsenti tantisper indulgere velit. Hinc vides non solum amanti suum amorem, sed & tristi suam tristitiam, irato suam iram, invido suam invidiam placere. Causæ videntur esse (1) quia passio quæcunque eum arguit statum, in quo animam versari conveniat, (2) quia per motum sanguinis & spirituum extraordinarium nervi eorumque fibræ varie punguntur, unde *titillatio*.

§. 6.

Hæc *suavitas* omnes nostras passiones nobis efficit jucundiores eoque impellit, ut iis nos permittamus, & parum an sint objectis commensuratæ nec ne attendamus, neque simul ac oriuntur reprimamus. Illa est in corru-

corrupto hoc ſtatu *fomes peccati*, facitque nos *affectuum ſervos*, a qua ſervitute nemo ſe poteſt liberare, niſi Spiritum S. cum delectatione gratiæ ſuæ habeat ſuccurrentem. Etenim ſola divina gratia ſvavitatem hanc irrationalem ſuperamus; quo ſimul patet, *nullum gentilem poſſe eſſe vere virtuoſum*.

§. 7.

Adeo melius naturam paſſionum cognoſcendam, conſideranda præterea venit *diverſa ſangvinis temperies & intemperies*, ſive in *utero materno*, ſive *conſvetudine*, ſive *caſu* aliquo *particulari* contracta. Inde enim fit, ut idem objectum alias in aliis paſſiones moveat; Sic etiam multum diverſiſſima biloſi a ſangvineis, hi a melancholicis aut phlegmaticis patiuntur.

§. 8.

Adhuc nota, quod per crebrum appulſum ejusdem objecti, illiusque conjunctionem frequentem cum certo fluxu Spirituum verſus certa organa fluxum in nervis rigidum efficiat *lubricum* & facilem, unde derivanda præter *facilitatem actionum ex habitu*, imprimis *communiſſima apud multos in affectus propenſio*; Inde etiam accidit, ut alii affectus ſint *conſtantes*, duique ſubſiſtant, cum contra alii *ſubito prætereant*, dum nulla mentis applicatione nituntur, ſed tantum ſenſu ac repræſen-

tatione alicujus objecti, & sangvinis fermentatione producuntur.

CAP. II.

De Passionum Moralitate

§. 1.

MAgna fuit olim inter *Stoicos* & *Peripateticos* de affectuum *bonitate* & *malitia* contentio, quam saniores in *vocibus* magis quam *rebus ipsis* positam fuisse non absone credunt. *Stoici* in ea fuerunt opinione, omnem affectum ac animi perturbationem esse malam & rationi contrariam. *Peripatetici* contra passiones moderatas & rationi subjectas bonas, uti effrænes in malis habendas esse pertendebant. Hinc *illi* pro sua hypothesi *απαθειαν* sive *affectuum vacuitatem*. *Hi* vero *μετριοπαθειαν* sive *passionum moderationem* inculcarunt.

§. 2.

Ut in hac materia ordine procedamus, supponimus, quod quia passionum humanarum natura præter *mechanicum sanguinis fluxum* etiam includat *liberam voluntatis* ob bonum vel malum perceptum *inclinationem*, easdem *moralitatis* haut esse incapaces.

§. 3.

§. 3.

Jam dicimus, si passiones *physice*, *generaliter* & *a circumstantiis moralibus abstractive* considerantur, sunt *indifferentes*. Quando vero *in specie* & quatenus *hæc vel illa circumstantia moralis accessit*, sistuntur, vel *bonæ* vel *malæ* fiunt.

§. 4.

Ad *bonitatem* passionum requiruntur hæ circumstantiæ (1) *Ut bonum & legibus præceptum vel permissum habeant finem*, videlicet, ut *gloria Dei, nostra aliorumque vera felicitas promoveatur*: Sic amor scientiarum, amor honorum, aut opum ob dictum finem est bonus. (2) *Ut vergant in objectum licitum*: Sic lætitia, quæ felicitatem, & tristitia, quæ infelicitatem aliorum pro objectis habent, sunt rationales. (3) *Ut commotio mentis spirituumque sit objecto, fini & Numinis voluntati commensurata, ita ut neque excedat neque deficiat.* Sic tristitia, desiderium, ceteræque passiones dicto modo moderatæ sunt bonæ & virtuosæ. Si finis & objectum passionis est *legitimum*, vocatur id nonnullis ὀρθοπαθεια, si vero passio est illis etiam *proportionata*; i. e. ut summo affectu optima, mediocri mediocria, minimo minima prosequamur, nec unquam, ut passionis alicujus violentia lumen rationis interciplat aut impediat, permittamus, id ipsum μετριοπαθεια dicitur.

§. 5.

Vitiositas passionum contrario modo se exerit, quando scilicet Passio (1) *tendit in finem legibus vetitum*, utpote *Dei contemtum ac nostrum aliorumque damnum.* Sic cupido opum, ut in earum nuda possessione me delectem eisque confidam, est mala. (2) *vergit in objectum illegitimum.* Sic lætitia ob infelicitatem & tristitia ob felicitatem aliorum est summe irrationalis. (3) *In gradibus motus objecto ejusque circumstantiis, aut voluntati Numinis non satis commensuratur.* Sic amor quo magis bestias quam hominem, magis hominem quam Deum prosequor est malus; Sic ingens lætitia ob leve bonum, aut summa tristitia ob leve malum vitiosæ sunt. Ubi notes velim, quod excessus præ defectu in passionibus sit imprimis vitiosus, hominique nocivus. *Excedit* vero passio, quando *corpus quoad vires suas vel ad momentum sensibiliter enervatur, vel voluntas in majorem inquietudinem detruditur, aut ægre retinetur.*

§. 6.

Irregularitas autem illa passionum nostrarum est quidem quoad fontem *congenita*, siquidem matrum imaginationes & inclinationes ad mala, quia vehementiores, magnopere imprimuntur infantibus, quos utero gestant, cui accedit *naturale humorum temperamentum* ad excessus non parum sollicitans, (intellige non per inevitabilem & immutabi-

tabilem necessitatem, sed contingentem ac mutabilem quandam inclinationem) non minimam tamen partem derivanda est *a libera voluntatis determinatione*, quæ fundamentum præbet quare imputetur. Quodsi quis *habitum* sibi in quadam *passione mala* acquisivit, eo minus excusandus est, sibi ipsi enim imputet, quod ejusmodi habitum crebro agendo attraxerit.

§. 7.

Et sic patet passiones speciales & secundum circumstantias morales consideratas esse vel *bonas* vel *malas*. Quando vero Cartesius in Diss. de Pass. art. 175. fatetur, *quod sibi persuadere nequeat, naturam indidisse ullum affectum, qui semper vitiosus sit, nullumque usum bonum & laudabilem habeat*, intelligenda sunt ipsius verba de passionibus generalibus & cardinalibus, si veritas verborum istorum constare debet.

CAP. III.

De Passionum Usu & Utilitate.

§. 1.

CUm secundum commune dicterium DEUS & Natura nil frustra efficiant haut abs re erit inquirere, *quem in finem*

& usum Deus naturæ parens Passiones nobis inseverit, neque enim a nobismet ipsis sunt affectus, quandoquidem sæpe omnem actionem cogitationemque nostram prævertunt.

§. 2.

Usus autem Passionum in *genere* consistit in eo, ut sint *instrumenta felicitatis nostræ* tam *internæ* quam *externæ*, i. e. ut subserviant nostræ *tranquillitati, sanitati & securitati.*

§. 3.

In *specie* Passiones ex naturæ instituto destinantur.

I. *Ut animum disponant ad expetenda, quæ natura nobis dictitat esse utilia.* Hæ enim in proposito prosequendi bonum & avertendi malum nos detinent, quapropter etsi in consilium rerum gerendarum adhiberi haut debeant, (hoc enim sibi vendicat sola *ratio*) consiliorum tamen exsecutioni intervenire possunt, quo sensu Passiones aliis dicuntur *Animi alæ, animorum Ardores, voluntatis satellites.* Si enim animus passionibus prorsus exutus esset, officiorum nostrorum exercitium in multis, quæ ardua essent, languesceret.

II. *Ut sint semina virtutum*, siquidem nulla passio hominibus innata, quæ si rite moderetur nobis non afferat *virtutis* laudem. Tolle passiones & nulla erit virtus.

III. *Ut homines in officio contineant,* quod fieri aliter vix posset, si non pœnæ metus & mali

vitiis,

vitiis naturaliter annexi aversatio peccandi libidinem in plurimis reprimeret.

IV. *Ut sanitatis fovendæ adminicula sint.* idem enim in homine præstare videntur, modo non excedunt, quod venti majori in mundo; Etenim uti hi aërem expurgant, ita passiones sanguinem quasi ventilant, ne stagnans putrescat.

V. *In summa, ut felicitatem nostram promoveant,* quia impossibile sine amore, lætitia, spe, fiducia &c. vitam felicem ducere.

§. 4.

Atque inde affectuum usus patescit, à quo ne illos exorbitare patiamur cavendum erit. Ex dictis etiam sequitur, oppido falsam esse eorum sententiam, *qui affectus natura sua malos & à sapiente alienos, adeoque exstirpandos esse volunt* Quæ opinio inde etiam refutatur, *quod ipse Servator noster omnis perfectionis exemplar non expers fuerit affectuum.* Tristatus enim est ob mortem Lazari, lætatus ob successum prædicati Evangelii, misertus turbæ inedia pressæ. Sententia hæc etiam est *impia;* Deum enim facit auctorem mali, quia necessitate physica haut paucæ passiones in nobis oriuntur; nec minus *stolida* est, dum enim Stoici exigunt, ut bonorum, honoris, amicorum cognatorum &c. jacturam ægre haut feramus, ut exilium, injurias, morbos & mortem ipsam haut metuamus, insaniunt, siquidem Deus nobis dedit corpus, & per illud nos omnibus sen-

ſenſibilibus univit, ut æque ridiculum eſſet ab homine poſtulare, ne opum, Parentum, liberorum &c. jacturam ægre ferat, aut ne proſpero rerum ſucceſſu lætetur, quam homines monere, ne ſentiant dolorem, dum vapulant, aut ne afficiantur voluptate, dum fami cibo grato ſatisfaciunt.

CAP. IV.

De Paſſionum Abuſu & Damno.

§. 1.

DIcendum nunc eſt etiam de *incommodis*, quæ in nos genusque humanum redundant a paſſionibus, ubi excuſſo rationis jugo enormiter & licenter tumultuantur. *Abuſus* autem paſſionum *in genere* huc redit, quod cum nobis a natura inditæ in media felicitatis, eas pervertamus *in inſtrumenta propriæ ac aliorum miſeriæ promovendæ.*

§. 2.

In ſpecie affectus enormiores.

I. *Officiunt menti*, dum (1) *tenebras offundunt intellectui*, ut genuinam objecti naturam penetrare nequeat: vehementiſſimus enim Spirituum animalium motus omnia in cerebro conturbat, & menti facultatem imagines rite formandi plane adimit (2) *judicium cor-*

rum-

rumpunt, quo fit, ut ſemper ſecundum affectus judicantes fallamur. E. g. cum aliquem amamus naturaliter credimus, nos etiam ab ipſo amari, hinc ſimul in eo omnia amore digna judicamus, ipſius deformitas nobis formoſitas, ipſius vitia virtutes nobis videntur. At ſimul ac odium amori ſuccedit, illum erga nos benevolo animo ferri, credere non poſſumus, ideoq; omnes ipſius actiones in malam partem accipimus. Et inde eſt, *quod homo de ſe deque re amata plus juſto, de re vero quam odit, minus juſto ſentiat.* (3) *ordinem in ratiocinando intervertunt*, nam ex fœdere animi & corporis eſt, ut quidem initium exſequendi a *voluntate*, conſilium vero a *ratione* ſit. Quando itaque bonum verum in longinquum proſpiciendo & diu perpendendo quærendum, voluntas id, quod rationis opus eſt, ſibi arripit, non conſiderans, quæ rei adhærent majora mala. (4) *Ideas nullo modo jungendas combinant.* Hinc ſi quis ab aliquo cujusdam nationis aut conditionis a ſua diverſæ bono vel malo afficitur, is non tantum illum, ſed omnes ejusdem nationis & conditionis amabit vel odio habebit. (5) *tranquillitatem animi interturbant*, quo ipſo homo in profundiſſimum calamitatis barathrum præcipitatur, omnique felicitatis ſenſu privatur.

II. *Officiunt corpori*, turbando œconomiam ejus totam & vaſtando ſanitatem, id

quod de invidia, ira, metu, tristitia, amore vehementioribus plus satis constat.

III. *Officiunt societati humanæ*, dum in eadem, exterminata pace & securitate, non nisi turbas, lites & bella serunt, & ad varia flagitia cum insigni generis humani damno connexa mortales impellunt, quod tristis experientia docet.

§. 3.

Fons istorum abusuum, & omnis vitiositatis in passionibus est *universalis illa naturæ humanæ corruptio*, de qua Theologi præcipiunt. Philosophi est in specialiores causas hujus mali inquirere, quæ sunt.

I. *Quod plerumque secundum nostram imaginationem de bono & malo judicemus*: hæc enim non repræsentat res prout in se sunt, sed vel eas mirum quantum exaggerat; *unde passionum excessus*: vel eas considerat prout referuntur ad præsentem passionem; *unde falsum de rebus judicium.*

II *Quod credamus alios homines occasione eorundem objectorum iisdem ac nos moveri affectibus*: videlicet quæ amamus, ab aliis etiam amari, quæ desideramus, ab aliis etiam desiderari. Inde oriuntur tot malæ passiones, ut invidia, Zelotypia &c. quæ in propriam & aliorum ruinam erumpunt.

III. *Quod omnes affectus nostri se excusent*, prout ex sensu interno quisque ipse novit. Hinc fit, ut nemini sua passio etiam summe

exce-

excedens, & in objectum illicitum vergens videatur injusta. Evidens exemplum præbet *ira*, quæ quamvis calumnias evomat, occidat, evertat urbes, devastet agros &c. non solum se excusat, sed vel ut rationalis reputetur postulat: quo ipso autem passionibus semper magis indulgemus, & nil minus quam de iis moderandis cogitamus.

IV. *Quod possessio boni corporis conjuncta sit cum voluptate, possessio boni mentis sæpe conjungatur cum molestia & dolore*: cum vero *voluptas* sit character boni, & *dolor* character mali, accidit, ut bona mentis sæpenumero postponamus bonis corporis.

§. 4.

Inter affectus, qui judicia ferunt a ratione maxime dissita, recenseri debent omnes *odii* & *aversationis* species. Nulli enim affectus rationem æque corrumpunt ac *odium* & *metus*. *Odium* præcipue quidem in bilosis & in iis, quorum spiritus perpetuo agitantur. *Metus* vero in Melancholicis, & in iis, quorum spiritus crassi & solidi. At ubi odium & metus una conspirant ad rationem corrumpendam, tum quævis judicia, quantumvis injusta & aloga, formare & acerrime defendere non erubescimus. Ratio est, quia mala vitæ mentem nostram longe vividius afficiunt quam bona; hinc injuria & opprobriis multo magis lædimur, quam laudibus & applausu delectamur.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. V.

De Pasſionum Remediis.

§. 1.

REmedia paſſionum dum ſuppeditare volumus, non eſt quod manuductionem ad illam Stoicis celebratam απαθειαν exſpectes, hoc enim eſſet naturam evertere, ſtimulosque virtutum tollere, quod *impoſſibile* & *impium* foret. Et quamvis Stoici hic magnificentius loquuntur, in eodem tamen cum aliis deſinunt, tandemque fateri coguntur: *Sapientem ſuum non immobilem ſed imperturbabilem eſſe debere.* Tota itaque noſtra inſtitutio ad ορθοπαθειαν & μετριοπαθειαν collimat. i. e. *ut rectum & moderatum paſſionum noſtrarum uſum conſequamur, easdemque ab omni pravitate & inordinatione avocemus.*

§. 2.

Remedia autem, quibus id obtinemus, in triplici ſunt differentia.

I. *Theologica*, quæ ex Theologia tam naturali quam revelata ſuppeditantur, ut ſunt *preces, meditatio divinæ omnipræſentiæ, juſtitiæ, mortis, cœli, inferni &c.* de quibus pluribus in Theolog. Moral.

II. *Medica* & *Phyſica*, quæ ex arte Medica fluunt; Medicorum enim eſt temperamentum nimium excedens corrigere, pravos corpo-

Landesbibliothek Oldenburg

corporis humores expellere, ac adhibitis pharmacis omnia in œconomia hominum ad naturalem mediocritatem redigere: qua in parte scripta medica consulere oportet.

III. *Philosophica & Ethica*, quæ huc imprimis pertinent, suntque vel *præservantia vel sanantia*.

§. 3.

Præservantia sunt, quibus *cavemus, ne motus inordinati surgant*: utpote

(1) *Si nobis comparamus intimam nostri ipsius cognitionem*; uti enim ad sanitatem conservandam plurimum facit corporis sui constitutionem & imbecillitatem nosse, ita ad evitandam passionum nostrarum exorbitantiam, non parum conducit earum declinationes & infirmitates accurate scire.

(2) *Si certo nobis persuademus, illum plus quam Regia libertate & eminentia gaudere, qui affectuum suorum Rector Victorque existit*. Sic enim studium domandi affectus augebimus, si & porro perpendimus, abjectissimum esse mancipium, qui propriis servit affectibus, aliorumque victor suis succumbit cupiditatibus.

(3) *Si diligentem adhibemus cautionem circa principia, ita ut quamprimum vel minimos sentiamus motus rationis imperio insurgentes, illis frena injiciamus & in herba suffocemus*. Etenim initio affectus imbecilles sunt, facilique negotio cohibentur, procedendo vero vires sumunt,

tantamquê vim ſibi parant, cui reſiſtere vel plane non vel difficulter poſſumus.

4. *Si fugimus hominum malorum, & eorum, qui paſſionibus ſuis nimis indulgent, conſortium, ac contra frequenter verſamur cum iis, qui regere affectus ſuos norunt.* Nulla enim res magis animis honeſta ingerit, dubiosque & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam virorum bonorum conſuetudo.

5. *Si ſedulo evitamus omnem occaſionem & objecta ad malas paſſiones irritantia:* nam occaſio ſæpe citra propoſitum invitat ad exceſſus, & nil magis appetitum noſtrum quam objecti præſentia inflammat.

6. *Si accuratum examen quotidie nobiſcum circa repreſſas aut moderatas paſſiones inſtituimus.* Hoc ipſo non ſolum in noſtri cognitione proficiemus, verum & paſſiones vix audebunt licentius graſſari, ſi noverint, reddendam ſibi toties eſſe rationem. *Deſinit ira*, inquit Seneca, *& erit moderatior, quæ ſciet, ſibi quotidie ad judicem eſſe veniendum.*

7. *Si nos liberamus a præjudicio ſtolidæ imitationis.* Alias illo inducimur, omnia illa pro bonis habere, quæ ab aliis, quos amamus & exiſtimamus, ita reputantur, & illa pro malis, quæ ab aliis deſpici videmus.

8. *Si attente obſervamus ad id, quod patiuntur, quodque perpetrant alii, dum irrationaliter commoventur.* Inde enim plenius addiſcimus, quantum

tum mali in vitiosis passionibus hæreat, horroreque majori eas prosequemur.

9. *Si sedulo cavemus, ne in ulla mala passione, crebro repetitis actibus, acquiramus habitualem facilitatem & radicatam firmitudinem.* Nam consuetudo altera natura, quam exuere multum laboris constat.

10. *Si accurate consideramus objecta affectus moventia, abstrahendo hic a vulgi opinionibus.* Opiniones enim rebus superadditæ sive imaginaria bona malave magis quam vera bona & mala afficiunt, siquidem vera & realis bonitas est objectis ipsis commensurata, atque ita certos & definitos limites habet, at imaginaria in immensum amplificari potest, aliis semper atque aliis opinionibus quadam verosimilitudinis specie superinductis. Hinc est quod *verus & in virtutis exercitio fundatus honor, si cuiquam denegetur, non ita moveat, quam si imaginarius ille, qui vulgi judicio constat vel tantillum imminui videatur.*

11. *Si educatio nostra ab ineunte ætate circumspecte instituatur.* Etenim ætate tenera ob organorum flexilitatem efferverscentes motus facilius supprimi, & tum *admonitionibus*, tum *præmiolis*, tum *castigatione* ita pueri in contrarium flecti possunt, ut in ætate provectiori, eorum motus nunquam tam frequenter & excessive propullulent.

12. *Si apud nos constituimus pro singulo passionum excessu vel multam pecuniariam in pios usus erogare, vel pœnam, in subtractione rei delectabilis*

tabilis consistentem ultro subire. Imago enim vel damni vel alterius rei molestæ, surgenti motui contrarium statim motum opponit, alterumque illum vel supprimet, vel ejus irruptionem in actus externos inhibebit.

§. 4.

Sanantia remedia vocamus, quibus *inordinationi jam ortæ medela affertur.* Mens quidem ante peccatum imaginem boni corporei vividiorem e cerebro poterat delere, voluptatem sensibilem, quæ istam imaginem comitabatur, dissipare, ac commotionem fibrarum cerebri & agitationem spirituum sola officii sui consideratione sistere. Sed peccato introducto res aliter se habet, nuda nolitio voluntatis ad sistendum spirituum motum ferme nil efficit; hinc artificio aliquo utendum, sc.

1. *Si contrariam passionem substituimus, & ope imaginationis objecto aliquid addimus, quod contrarium motum excitare valet:* quæ medela fit per *revulsionem.* E. g. si amore irrationali erga rem flagramus, defectus in eadem imaginari oportet, ut sic odium & aversationem eliciamus. Ubi tamen sedulo cavendum, *ne ab extremo uno ad alterum prolabamur.*

2. *Si res a passione longe alienissimas cogitando excitatum spirituum motum aliorsum determinamus,* quæ medela fit per *diversionem,* E. g. quando ob præsens malum tristitia afficimur, meditationi mali non inhærendum, sed alia negotia,

gotia, quæ diversas requirunt cogitationes suscipienda sunt.

3. *Si consortio eorum, qui contrariis a nobis trahuntur affectibus utimur.* Sic audacibus meticulosorum, tristibus lætorum, & vice versa consortium prodest.

4. *Si, ubi vehementiorem affectuum motum sentimus, judicium externamque, ad quam impellit, actionem suspendimus.* Bene hanc in rem Cartesius Diss. de Pass. art. 46. *Id quod voluntas ad summum facere potest, dum viget Spirituum commotio, est, non consentire illius effectibus, & cohibere plurimos ex motibus (sc. externis), ad quos disponit corpus.* E.g. si ira efficiat, ut manus erigatur ad percutiendum, lingva ad evomendas injurias, voluntas illos actus cohibere potest.

5 Addit *Pythagoras Musicam, quam & discipuli ejus ad sedandas passiones mane ac vesperi exercuerunt.* Saulum mente perturbatum a Davidis cithara medelam accepisse, sacræ paginæ testantur.

§. 5.

Recensita remedia, quamvis ad affectus pravos subjugandos, reliquos autem recte ordinandos, haut parum sint profutura, non tamen sufficient cohibitioni passionum; vix enim possibile est, ut nostra tam debilitata natura tantum opus possit perficere, tantoque malo mederi. Quod si itaque rebelles suas passiones arctius cohibere velit homo, *potiora auxilia extra se* debet quærere, illaque a *Summo Numine* ex-

ſpectare, hujus *gratia* rebelles paſſiones in ordinem redigere poterit, licet plane vincere & abſolutiſſimum in eas imperium ſibi pollicери haut queat, ob adhærentem labem, quæ efficiet, ut ſæpe reluctentur frenumque mordeant. Interim hic quoque *prima ſequentem, honeſtum erit in ſecundis tertiisve conſiſtere.*

CAP. VI.

De Paſſionum Diviſione & Numero.

§. 1.

TAmetſi *affectuum ſpecies* vix enumerari poſſint, ſiquidem tanta in objectis, quæ affectus excitare poſſunt, *varietas*, tantaque in noſtris corporibus *mutabilitas*, ut affectus, qui objectorum impreſſiones, Spirituum agitationem & cerebri temperiem conſequuntur, ad certum numerum redigi vix queant: *Primitivi* tamen & *ſimplices* affectus ad certum numerum reduci poſſunt, quam alii aliter, ut libitum eſt, inire ſolent.

§. 2.

Pythagorei επιθυμιαν και θυμον ſeu *Cupiditatem* & *Excandeſcentiam* conſtituerunt *paſſiones principales ac primitivas*, ex quibus *illa* paſſiones, quæ *bonum*, hæc, quæ *malum* pro objecto habent complectitur. vid. *Omeiſ. Eth. Pythag. p. m.* 142.

§. 3.

§. 3.

Academici quatuor Cardinales admittebant passiones, scil. *Appetitum, Metum, Lætitiam, Tristitiam.* Virgilius eas exprimit hoc versu:

Hinc *metuunt, cupiunt, gaudentque dolentque.*

§. 4.

Epicurei ab Academicis hac in parte non dissentiunt. Ita enim *Petrus Gassendus* in Syntag. Phil. Epic. Part. II. Sect. 3. cap. 19. *Videntur*, inquit: *esse quatuor generales animi affectus*, Dolor & Voluptas, *ut extremi*; Fuga & Cupiditas, *ut interjecti. Generales, inquam, quoniam ceteri istorum sunt species, ac opinione intercedente fiunt, & qui possunt potissimum ad cupiditatem fugamque referri.*

§. 5.

Aristoteles nullum iniit certum passionum numerum, nec ad certa capita eas revocat, sed illas Lib. II. cap. 4. *Magn. Moral.* & Lib. I. cap. 1. *de Anima*, aliisque in locis varie recensuit. In priori loco recenset *cupiditatem, iram, timorem, audaciam, invidiam, gaudium, amicitiam, odium, desiderium, æmulationem, misericordiam.* In posteriori loco 5. ex dictis omittit & præterea addit *Amorem & mansuetudinem.*

§. 6.

Stoici totam suam philosophiam moralem dividunt in *æstimationem boni & mali*, ac eorundem *appetitionem aversationemque.* Hæc appetitio & aversatio iis est vel

I. *Vehementior & sine ratione*, diciturque πάθος

seu *Affectus*, quem *per irrationalem animi motum s. immoderatam mentis concitationem* definiunt. Distingvunt autem *Affectus* in *Principales*, & iis *subjectivos*. I. *Principales* sunt numero quatuor: *Libido s. Cupiditas*, quæ est *opinio venturi boni s. commotio vehementior nata ex opinione boni futuri*: *Lætitia*, quæ est *opinio recens boni præsentis, in quo efferri, rectum esse videatur*; *Metus*, qui est *opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur*; *Tristitia*, quæ est *opinio recens mali præsentis, in quo demitti rectum esse videatur*. II. *Subjecti principalibus* s. speciliores sunt plurimi, etenim *Cupiditati* subjiciunt 7, *Lætitiæ* 4, *Metui* 9 & *Tristitiæ* 14, quos allegatos lege in Casp. Sciopp. Elem. Phil. Mor. Stoic.

II. *Constantior & cum ratione*, diciturque εὐπάθεια *s. Constantia*, quam definiunt per *animi cum ratione commotionem*, deque *Sapiente* suo prædicant. Distingvunt Constantias etiam in *Cardinales & subjectivas*. (1) *Cardinales* faciunt numero tres. *Voluntatem* contrariam *libidini*, quæ est *appetitio boni futuri cum ratione*; *Gaudium* contrarium *Lætitiæ*, quod est *animi cum ratione elatio ob bona præsentia*: *Cautionem* contrariam *Metui*, *quæ est declinatio mali futuri cum ratione*. (NB. In præsenti malo *Sapientiæ* nullus plane motus, *Stultitiæ* vero tristitiam tribuebant, idque ideo, quia Sapienti nullum malum posse accidere stolide præsumebant. (2) *Subjectivæ* sunt plures. Etenim *voluntati* 4, *gaudio* 3, *cautioni* 2. subjiciebant. vid. l. c.

§ 7.

§. 7.

Scholastici subjectum passionum constituunt *Appetitum sensitivum*, quem distingvunt 1. in *Concupiscibilem*, qui circa bonum & malum absolute est occupatus, cui attribuunt 6 passiones *Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Lætitiam, Tristitiam.* 2. *Irascibilem*, qui circa bonum aut malum cum certo modo & gradu, vel ratione ardui spectatum versatur, huc referunt 5. alias, sc. *Spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, Iram.* Distinctio hæc inter *appetitum irascibilem & concupiscibilem* ad arbitrium videtur efficta, præterea affectus ad concupiscibilem pertinentes, tam *intensi & animosi* esse possunt, quam affectus, qui irascibili tribuuntur, *molles* sunt *& remissi.*

§. 8.

Cartesius Diss. de Pass. art. 27. *Passiones* definit per *perceptiones s. commotiones animæ, quæ producuntur, conservantur & corroborantur per aliquem Spirituum motum,* quarum *sex primarias* constituit, ex quibus reliquæ componantur, scilicet *Admirationem, Amorem, Odium, Cupiditatem, Lætitiam, Mœrorem.* Enim vero *Admiratio* est affectio & *passio intellectus* non voluntatis, prout stricte dictæ passiones sunt, ac præterea in *admiratione* res ut *in se*, non ut *relate ad nos* (i. e. vel *bene* vel *male*) se habent, sistuntur, cum tamen relativus respectus passionum motus demum ciet.

§. 9.

Spinosa in Ethica sua Part. III. de Passionibus tres *radicales* ponit passiones. (1) *Cupiditatem*, quæ ei est *appetitus cum ejusdem conscientia versus ea, quæ hominis conservationem necessario sequuntur.* (2) *Lætitiam*, quæ est, *qua mens ad majorem perfectionem transit.* (3) *Tristitiam*, quæ est, *qua mens ad minorem transit perfectionem.*

§ 10.

Malebranchius lib. V. de Inquir. Verit. c. 7. & 9. a Spinosa non multum differt, putatque numerum affectuum non esse multiplicandum *juxta numerum objectorum*, quæ infinita propemodum sunt, sed potius *juxta varia judicia* quæ circa bona & mala fieri possunt, quo posito *Amorem* & *Odium* constituit *principia* omnium passionum, e quibus gignantur *tres generales affectus* ad bonum & malum spectantes, sc. (1) *Gaudium*, quo afficimur, ubi *bonum præsens est*, vel ubi *malum præteriit.* (2) *Tristitia*, hanc sentimus, ubi *bonum præteriit, malum* vero *præsens est.* (3) *Desiderium*, quo movemur, *ubi bonum & malum futura sunt.* Ex his tribus primitivis affectus speciales derivari posse censet.

§. 10.

Christianus Thomasius in Prax. Ethic. c. III. & IV. *unicum* affectum principalem admittit, sc. *Desiderium s. Cupiditatem*, siquidem generalis affectuum definitio tota ad desiderium adplicari, & hoc de quibuscunque affectibus prædicari queat. *Desiderium* secundum illum se exerit (1) per

per *Amorem*, qui ei est *desiderium boni non modo acquirendi, sed etiam retinendi neq; amittendi* & (2) per *Odium*, quod ei est *desiderium mali non solum amoliendi, sed & ab eodem abstinendi:* Hæc duo facit *summa genera* & *fontes* reliquorum affectuum.

§. 11.

Nos cum *Wesenfeldio* aliisque ita procedimus. Quandoquidem *Esse* nostrum partim instinctu naturæ, partim rationis ductu *conservare*, & perficere impellimur, atque ideo ob nihil movemur, nisi quod *bonum*, i. e. esse nostri *conservationem*, aut *malum*, i. e. esse nostri *destructionem* promovet; patescit *Amorem nostri* esse *universalissimum affectum & fontem omnium aliarum passionum*, hasque nil aliud esse, quam *emanationes s. species Philautiæ*. Nihil enim odissemus, ob nil tristaremur vel irasceremur, nil desiderarémus, speraremus vel metueremus, nisi saltem *nos ipsos* nostramque *conservationem* aut quamcunque *ejus speciem* amaremus.

§. 12.

E jam explicato nostri amore fluunt duæ *primogeniæ passiones*, & fontes ceterarum omnium *Amor* sc. & *Odium*. *Ille* cum singulari impetu versus *bona & grata*. *Hoc* cum singulari impetu versus *mala* & *ingrata* se exerit. Ubi notatu digna sunt *Henrici Mori* verba in Enchir. Ethic. Lib. 1. c. 7. §. 5. Quid est *Desiderium, nisi amor porrectus versus bonum futurum? quid Fuga, nisi odium se avertens ab imminenti malo? quid Tristitia, nisi odium præsenti malo oppressum & implicatum.*

Ma-

Manifestum enim est omnibus hisce circumstantiis semper subesse & in fundo quasi latere amorem & odium.

§. 13.

Reliquæ passiones sunt vel distinctæ *species*, vel distincti *gradus*, vel distinctæ *modificationes* Amoris & odii, petitæ aut ab *effectu*, aut a *diverso respectu*, quem habent *bona* & *mala* erga nos, quatenus vel *propinqua* vel *remota*, *præsentia* vel *futura*, obtentu *possibilia* vel *impossibilia*, *facilia* vel *difficilia* cognoscuntur: de quibus in parte speciali.

§. 14.

Priusquam autem illam inchoamus, ejus brevem conspectum præmittere, & primarias passiones ad certas classes revocare, non inutile erit: Considerabimus itaque

1. *Occasionem* passionum, quæ est *Admiratio*, cujus adjuncta sunt *Existimatio* & *contemtus*.

2. *Species* Passionum. Ubi earum (1) *Fons & Scaturigo*, videl. *Amor sui*, (2) *Primogeniæ*, ut sunt *Amor* & *Odium*. (3) Ex primogeniis *immediate ortæ*, ut sunt *Desiderium* & *Aversatio* (4) *Mixtæ* ex præcedentibus, ut sunt *Spes* & *Metus*, *Lætitia* & *tristitia*, *Ira* & *gratitudo*.

§. 15.

In singularum vero tractatione id operam dabimus, ut illarum *Naturam* & *proprietates*, *Varietatem*, *objectum speciale*, *Characteres*, *Phænomena*, *Usus*, *Abusus*, ac *Remedia*, qua brevitate & perspicuitate fieri potest, exponamus.

PAR-

Partis Specialis

CAP. I.

De Admiratione.

§. 1.

Præmittimus *Admirationem* non quidem ceu passionem stricte dictam, sed tanquam *occasionem* passionis & *incentivum* in ipsa passione, definimusque per *passionem intellectualem, qua in attentam considerationem insoliti & incogniti objecti ferimur, quæque conjuncta cum extraordinario spirituum animalium motu in cerebro. Vossius* Philosophiam ex *admiratione* natam secundum commune brocardicon (*propter admirari cœperunt homines philosophari*) asserens, eandem hypothesi suæ convenienter describit, *quod sit animi in rem propositam intuitio cum cupiditate cognoscendi causam*; ubi observes velim naturam admirationis respectu *subjecti* involvere *ignorantiam* quoad rei *causas* & *modum*, siquidem admirari definimus, simulac rei, quam ignoravimus, causas & modum intellexerimus; inde patet *Admirationem esse filiam ignorantiæ*, quo inductus Thomasius, ut eam definiret per *ignorantiam causæ rei raro contingentis*.

§. 2.

Ex intensissimo admirationis gradu fit *Ecstasis*, quando vero est repentina oritur *Stupor*,

ubi per ſubitaneam occupationem Spiritus omnes, qui ſunt in cavitatibus cerebri currunt verſus locum, in quo eſt impreſſio objecti, quod miramur, ibique adeo ſunt occupati in conſervanda hac impreſſione, ut nulli inde in muſculos aliorum membrorum tranſeant. Unde fit, ut *totum corpus immobile maneat inſtar ſtatuæ, & non niſi prima, quæ ſe obtulerat objecti ſpecies, poſſit obſervari.*

§. 3.

Peculiare admirationis *objectum* eſt *inſolitum* ſ. *rarum*; nam ut reſpectu ſubjecti *ignorantia*, ſic reſpectu objecti *Inſolitas* ad eſſentiam admirationis requiritur. Hinc alia objecta, ut *nova, peregrina, artificioſa, inopinata, antiqua, magna, parva, pulchra &c.* non alia ratione admirationem commovent, quam quia *inſoliti* quid continent.

§. 4.

In admiratione *oculis & auribus* præcipue utimur, geſtusque efficimus admirationi & conſiderationi convenientes. Hinc ſæpe propius nos objecto admovemus, vel ſi objectum e longinquo ſit conſtitutum *caput attollimus, cervicem tendimus, oculos ſæpe defixos tenemus, aures arrigimus, brachiaque ad cœlum extendimus* Qui characteres eo magis in nobis deprehenduntur, quo admiratio noſtra ſtupori proximior.

§. 5.

Porro hic *ſingularia quædam* obſervare juvabit.

1. *Quod, judice Carteſio, nec ſtupidiores nec ambitioſi*, ſed *modeſti & ingenio utcunq; valentes ad admira-*

mirationem quam maxime ferantur. Quinimo ſæpe fit, ut quo penitius & accuratius a nobis res ipſa adprehenditur, eo magis admiratio increſcat, impr. ſi modum plene eruere non licet, ut in pluribus rebus naturalibus. Proinde ut quisque magis a natura vel ex certo inſtituto ad cognoſcendum, & rerum novarum ſtudium propendet, eo magis admirari ſolet.

2. *Quod non omnes eadem admiremur,* quoniam non omnibus eadem inſolita atq; extraordinaria ſunt, ideoq; nec extraordinarium motum in illorum cerebro excitare queant. Sic explosionem tormentorum Indi, non Europæi admirantur.

3. *Quod, ſi admiratione ſpectamus aut audimus rara ac inſolita, nobis non facile obrepat ſomnus,* nam, quia ad ideam objecti rari in cerebro conſervandam ſpiritus animales in magna copia verſus illud pelluntur, ſimul quantum ſufficit auribus & oculis, quorum ope objecta rara mens percipit, communicantur, quo ſpirituum abundantia & acriori motu pori in cerebro aperti, & nervorum fila ſemper tenſa conſervantur, quibus contraria omnia in ſomno contingunt.

4. *Quod, ſimulac raritas ob frequentem adſpectum aut alio modo objecto abſcedit, illud admirari deſinamus;* nam quando extraordinarum; illud ab objecto eſt ſublatum, hoc vividiores motus cerebro amplius imprimere nequit; ex quo ſimul patet ratio, quare *præſentia imminuat famam, & vir doctus aut artifex eam ſui admirationem*

non in patria, uti apud exteros, concitare polleat, nisi plane singularibus naturæ ac fortunæ donis emineat.

§. 6.

Usus Admirationis *in genere* est, ut homo *ad attentionem majorem & recordationem faciliorem* disponatur. Etenim Spiritus animales versus loca cerebri in copia tendentes vestigia distincta & satis alta, ut diu permaneant, imprimunt, ac proinde mens istius objecti claram format ideam, ejusque facile recordatur. Cum itaque *Admiratio mentem adplicat & illumimat*, dubium non est, quin *ad scientias & artes addiscendas* plurimum conferat, cui accedit, quod non possibile sit, diu rei incumbere aut ei attentionem præbere, ubi illam non admiramur; siquidem citra admirationem spiritus animales non feruntur in loca necessaria ad illam nobis exhibendam. Ergo *qui ad admirationem proni ad studia longe aptiores, iis qui admirationis sunt incapaces*. At *in specie* admiratio inservit

I. *Ut veritatis promtiorem inquisitionem tum in nobis tum in aliis promoveamus*. Ideo Deus in fundatione Ecclesiæ miraculis uti voluit, sc. ut se accommodaret imbecillitati hominum, qui per miracula admirationem excitantia magis moventur, quam si ad considerationem operum Dei ordinariorum eos relegasset: Inde dependet etiam ratio observati Verulamiani: *Deum nunquam edidisse miraculum ad Atheismum convincendum, quoniam opera ejus ordinaria huic rei sufficiunt*.

II. *Ut*

II. *Ut promtitudinem quandam in omni statu ac vitæ genere & in nobis & aliis excitemus.* Hinc ad istud studiorum genus quivis se applicare maxime debet, in quo singulariter aliquid admirandum deprehendere sibi videtur, & parentes prudentissime a prima ætate admirationem istius vitæ generis impriment liberis suis, ad quod eos destinare in animo habent.

§. 7.

Abusus Admirationis est multiplex.

I. *Si sumus Miriones, & in admiratione rerum omnium ac illarum, quarum ratio sine difficultate sciri potest, persistimus;* quo ipso autem ordinem naturæ pervertimus, & usum, quem ratio & natura præscribit, negligimus.

II. *Si admirationem extendimus ad ea, quæ quomodocunque cum objecto insolito sunt connexa.* Sic multi, virorum pietate & eruditione illustrium, non tantum *probitatem* & *erudita scripta*, sed & *utensilia, vestes* & *reliquias* alias quinimo *defectus* admirantur.

III. *Si in unius rei admiratione nimium habitum nobis conciliamus.* Sic quidam numismatum, alii florum, alii picturarum, alii librorum &c. possessione, ac hujus vel illius Philosophi doctrina ita capiuntur, ut reliqua omnia spernant, hisque rebus unice etiam cum facultatum jactura intenti, plura & meliora agere negligunt.

IV. *Si permittimus, ut connectantur cum admirationis excessu aliæ passiones excedentes.* Sic admiratio opum, honorum, mulieris &c. con-

juncta cum amore, desiderio, zelotypia ita hominum mentes concutit, ut nunquam in via virtutis persistant.

V. *Si ea, quæ mere admirari conveniebat, scire anhelamus*, quinimo nonnulli ulterius procedunt, *& ob ignorantiam modi ipsam rem negare haut erubescunt*. Quod vitium subtilioribus ingeniis familiare est, quæ admirationem, quia aliquid ex ignorantia trahit, tanquam quod infra dignitatem vastæ mentis suæ sit respiciunt, illamq; ceu remoram illimitatæ suæ cupiditatis in sciendo intuentur. Sic multi Cartesianorum ideo, quia modus, quo spiritus corpus moveat, penetrari nequit, ei vim movendi plane denegant, ne dicam de iis, qui multa Theologiæ mysteria ideo falsitatis arguunt.

§. 8.

Remedia, quibus in abusibus dictis emendandis uti expedit, erunt

1. *Quando studia bonarum artium & Philosophiæ diligenter excolimus*; ita enim rerum causas & illarum connexionem cum felicitate nostra rite intelligemus, quo ipso *excessus in admiratione* facile evitari poterit. Hinc est, quod Horatius *nil admirari* inter media *beatitudinis* referat, & Veteres ἀθαυμασιαν seu vacuitatem ab admiratione in Sapiente suo requirerent.

2. *Quando nostram in cognoscendo finitam capacitatem, & rerum infinitam varietatem, Deique immen-*

mensitatem in essendo & operando consideramus: ita enim plurima, ut imperscrutabilia cognoscemus, quo ipso *defectum in admiratione* evitabimus.

§. 9.

Consequentia & *adjuncta* admirationis sunt *Existimatio* & *Contemtus*.

MEMBRUM I.
De
Existimatione & Contemtu.

§. 1.

Existimatio & *Contemtus* non sunt *species* admirationis, quia de hujus natura non participant, sed sunt eam *consequentia judicia* de rerum valore & pretio.

§. 2.

Existimatio itaque est *judicium intellectus, quando rem admiratione dignam, judicamus, & ob id valorem magnum ei attribuimus.* Contra *Contemtus* etiam est *judicium intellectus, quando rem admiratione nostra indignam judicamus, & ob id omne pretium ei denegamus,* fitque eo major, quo amplior antea ejus rei existimatio fuit. E. g. Si quis terminos Scholasticorum grandisonos admiretur, deinceps autem advertat, illos merum sine nucleo corticem esse, priorem admirationem tanto major illorum contemtus excipiet.

§. 3.

Hæc *existimatio* & *contemtus*, quæ post deprehensionem *convenientiæ* & *disconvenientiæ cum admira-*

miratione nascuntur, differunt ab *existimatione* & *contemtu* apud nos orientes, *dum unum ad aliud comparamus, & hoc illi multis parasangis vel antecellere vel cedere* deprehendimus, quod antecellit ei valorem attribuimus, & dicitur *Existimatio;* quod cedit ei valorem denegamus, diciturque *contemtus*.

§. 4.

Objectum existimationis hujus *peculiare* est *τὸ magnum* seu *excellens*, contemtus vero *τὸ parvum* seu *vile*. Verum cum magnifacimus vel parvifacimus objecta, quæ consideramus, ut liberas causas capaces bene vel male agendi, ab existimatione procedit *veneratio*, & a simplici parvi-æstimatione *dedignatio*.

§. 5.

Uti *dedignatio*, si externis signis declaratur, vocatur *despectus*, sic *veneratio*, de qua verbis vel factis testamur, dicitur *honor*, cujus cum veneratione idem est fundamentum, quod tamen a variis varie determinatur. Secundum *Pufendorfium* fundamentum honori præbent omnia *illa, quæ insignem aliquam præstantiam aut perfectionem habent vel habere* judicantur, (quod si illa præstantia in plurimorum notitiam pervenit, vocatur proprie *claritas*, si illa præstantia alicujus est tanta, ut de eo in aliis oriatur opinio pecularis prudentiæ & sapientiæ circa dextre determinanda dubia practica, dicitur *auctoritas*). *Hobbesius* omnia honoris fundamenta ad *potentiam* revocat, hac autem intelligit

quæ-

qualitatem quamcunque, quæ gignit vel amorem vel metum multorum hominum. Quidam *innominatus Auctor* illum veneratione & honore dignum censet, qui *conjunctim* his tribus gaudet qualitatibus, sc. *potentia, benignitate* & *sapientia.*

§. 6.

Usus existimationis naturalis est, *ut acuatur nostra diligentia circa rei considerationem, utque rei existimatæ prosecutio sit promtior.* Contemtus vero, *ut ab attentione & prosecutione rerum eis indignarum retrahamur.*

§. 7.

Abusus existimationis se exerunt in eo?

I. *Si majoris existimamus minus existimanda*, ut est extraordinaria existimatio opum, honorum, formæ &c. quæ avaritiæ, ambitionis & lasciviæ fomes est.

II. *Si plane non vel minoris existimamus, quæ pluris existimari deberent.* Sic vel nullum vel minus pretium a plurimis tribuitur bonis cælestibus & mentis, quam bonis terrestribus & corporeis.

Abusus circa contemtum sunt.

1. *Quando res, quas ante existimavimus, deprehenso quod nil in his extraordinarium sit, non solum non existimamus*, (quod rationi conveniens foret) *sed etiam absolute & ultra quam decet contemnere incipimus.* Sic quidam magnifecit Cartesium nunquam visum, postquam autem cum illo locutus, nilque extraordinarii deprehendisset, personam ipsius æque ac philosophiam spernere cœpit.

2. *Quando illud, quod in re vile est aut contemtu dignum, ad totam rem transferimus.* Sic Christus ipse ob vilem suam nativitatem a Judæis spernebatur, & biblia ob styli simplicitatem tota ab impiis rejiciuntur.

§. 8.

Remedium contra hos abusus erit, si de rerum pretio vel vilitate haut judicamus secundum affectum dominantem, aut nostram imaginationem, quæ omnia plus justo vel extollit, vel deprimit; sed potius attente consideramus, quantum valoris rei vel addendum vel detrahendum sit. Imprimis juvabit, quod per rationalem educationem nobis ab ineunte ætate justa rerum pretia inculcentur, quo ipso præservabimur, quominus deinceps præjudiciis occœcati in judicando erremus. Restat ut peculiariter agamus de *sui-existimatione & contemtu:*

MEMBRUM II.
De
Existimatione & Contemtu sui.

§. 1.

GEnuina *sui-existimatio* consistit in eo, *ut quis se æstimet & æstimari velit ex sola virtute.* Bene enim Cartesius de Pass. art. CLII. *Unum duntaxat*, inquit, *in nobis observo, quod justam causam possit suppeditare nosmet ipsos existimandi*, nempe legitimum usum liberi nostri arbitrii, & imperium, quod in nostras voluntates exercemus. *Nam præter actiones solas pendentes ex isto arbitrio, nihil est, unde possumus cum ratione laudari vel vitupe-*

tuperari, illudque nos quodammodo reddit Deo similes, nos nostri Dominos faciendo. Et hæc justa ac legitima sui-existimatio vocatur *Generositas.* Ille enim vere *generosus* est, qui est justus sui æstimator, i. e. *qui partim novit, nil revera suum esse, excepta hac libera dispositione suarum voluntatum, nec debere laudari vel vituperari, nisi quod illa bene vel male utitur, partim qui sentit in se firmum & constans propositum ea bene utendi, quod est perfecte sequi virtutem.*

§. 2.

Contemtus-Sui genuinus consistit in eo, *quando nos ipsos contemnimus, quoties libero arbitrio nostro haut recte usos esse, & aliquid vitii admisisse,* advertimus. Exinde fluit *Humilitas,* consistens *in reflexione, quam facimus super nostram infirmitatem, quæ efficit, ut nos nemini præferamus, reputantes pariter ceteros, qui pollent nobiscum libero arbitrio, æque bene ac nos illo posse uti.*

§. 3.

Characteres Generositatis & Humilitatis varie se produnt. Nam *Generosus* Domitor suorum affectuum naturaliter ad magna patranda fertur, opprobrio sibi ducens, indolem capacem incultam relinquere, & quia nil majus reputat, quam aliis benefacere, proprium commodum contemnit, semper humanum, affabilem & officiosum se erga unumquemque gerit, quin imo neminem unquam contemnit, & quamvis sæpe videat alios ea admittere sphalmata, quæ ostendunt ipsorum imbecillitatem,

est tamen pronior ad eos excusandos, quam carpendos, & ad credendum, illos potius ex notitiæ quam bonæ voluntatis defectu peccare. *Humilis* sæpius erubescit, sua vitia fatetur, aliorum virtutes narrat, omnibus cedit, submisso capite ambulat, & nil humani a se alienum esse credit.

§. 4.

Usus Existimationis-Sui est, ut sit *rationalium actuum naturale præmium & stimulus ad bene agendum*; illa enim aliquod *dulce* secum trahit, quo mens nostra recreatur. Contra *Usus* contemtus - sui se exerit in eo, *ut sit irrationalium naturalis pœna, & quoddam retinaculum ab omni vitioso*, si quidem ingratus nobis sensus eam comitatur. Inde patet animi desperate mali indicium esse, vel se non contemnere, ubi vitiose egerit, vel ob ipsa etiam vitia majoris se existimare, quia sic præmium vitiis assignatur, ac regressus ad virtutem impeditur, pœnitentiæque via præcluditur, ad quam contemtus sui ducit: Cum tamen *primum in vita sit, non peccare, proximum, per pœnitentiam & contemtum sui ad virtutem regredi.*

§. 5.

Abusus existimationis speciali nomine vocatur *Superbia*, quæ est *perversa sui existimatio ex inordinata admiratione sui orta ob bona* vel *animi* vel *corporis* vel *fortunæ*. NB. Non quidem existimare se propter ista, attamen illa in se existimare omnino licebit, & iis uti ad actus excellentiores præstandos.

dos. Cognoscitur autem *Superbus* in eo, quod de factis suis glorietur, non nisi virtutes suas, & aliorum non nisi vitia narret, quod omnibus præferri velit, & ea gravitate ac ornatu incedat, quo solent alii, qui longe supra ipsum sunt positi.

§. 6.

Remedia ad reprimendam superbiam suppeditabuntur inde

I. Si consideramus, *quod illa dona firmum fundamentum existimationi - sui substernere nequeant, stolidumque sit, ideo se aliis præferre, quoniam in nobis quidem, non tamen a nobis, nec in nostra facultate sunt posita, quodque illa potius tanquam beneficia Dei nos excitare debeant ad existimationem summi Numinis* ceu *Naturæ auctoris, cujus gratia ea accepta ferimus.* Accedit, *quod alii ex alio capite possint gloriari*: nam pone, te esse doctiorem, aut corpore pulchriorem, alter candidior & mente amabilior esse potest: esto, te sumtuosius vivere, alter forsan vivit commodius.

II. Si perpendimus, *plurimis subsidia & occasionem defecisse, quo minus eruditione, divitiis & honorificis muneribus eminere potuerint*, ideoque maxime irrationale esse, ipsos penes se ob hujusmodi bonorum carentiam despicere.

§. 7.

Abusus contemtus - sui peculiari nomine dicitur *Abjectio*, quæ est *irrationalis sui contemtus ob bona naturæ vel fortunæ negata*; permulti enim ob defectum illorum donorum vel ad majo-

rem socordiam, vel ad desperationem factaque injusta perpetranda adiguntur, qui rationalius impelleret ad diligentiam & laborem, denegata bona, quantum fieri potest, nobis comparandi. De *abjectæ mentis hominibus* observat Cartesius, quod a sola fortuna dirigantur, nec eos prosperitas minus inflet, quam deprimat adversitas, quod se demittant turpiter apud eos, a quibus aliquid boni exspectant vel mali metuunt, quodque simul insolenter se efferant supra eos, a quibus nil sperant vel timent, ibidemque sint arrogantiores & superbiores, ac Generosi sunt modestiores & humiliores.

§. 8.

Remedium contra abusum existimationis-Sui erit, si cogitabimus, nos alias futuros esse partim *injustos ergo nos ipsos, dum citra causam nos parvifacimus ob defectum rerum, quas possidere penes nos non stetit*, partim *impios in Deum, cujus providentiam, dum assignatis donis haut sumus contenti culpare videmur.* Accedit, quod *quo pauciora naturæ & fortunæ dona Deus nobis concessit, ea facilius de eorum administratione rationes reddere queamus.*

CAP. II.
De
Amore-Sui.

§. 1.

PRogredimur ad *species* passionum stricte dictarū, ubi earum *fons* primo considerandus venit,

venit, sc. *Amor-Sui*, qui est *appetitus conservandi se in statu naturali, eumque perficiendi, impulsu tum mentali adversus esse & bene-esse nostrum.* Hic Amor sui est affectus *universalissimus*, prouti supra cap. VI. §. 11. notavimus. Quod autem nihil amemus, nisi quod *relationem ad nos ipsos* habet, i. e. *unde amando aliquod commodum speramus, aut aliquam percipimus voluptatem.* Hoc plurimi defectui per lapsum attracto adscribunt, cum mihi tamen videatur, vix fieri posse, ut homo res citra respectum ad se amet; id enim quod amo, debet esse *bonum*, quod habet rationem boni, illud meo esse aut bene-esse debet inservire. Notatu digna sunt verba *Dn. Bontekoe* in tr. Eth. Phys. de Passionibus §. 5. *Nunquam* inquit, *amamus alias res, sed amor noster non est nisi* nostri, *quare si ceteras res amare dicimus, vel colere aut venerari, id non aliud significat, quam nos judicare res illas nobis* esse utiles & jucundas. *Dicimus autem nos istas res amare, quia* Philautiæ seu nostri amoris *nos pudet, & quia novimus alios homines illa Philautia non delectari, ut igitur eos desipiamus, ipsi non veremur mentiri.* Hoc supposito, ferme negari nequit, reliquas species amoris esse ipsius *Philautiæ rivulos*, illamque *unicum* esse amorem, qui magis minusve tectus vel apertus est.

§. 2.

Concipitur a nonnullis alius Amor priori è diametro contrarius, qui vocatur *Purus s. Desincerisatus*, hic *missa omni consideratione sui ita se abnegat, ut apertis defixisque mentis oculis, solam*

Le-

Legem Dei intueatur, & quicquid ea jubet vetatve, citra ullam sui considerationem sequatur & agat, vel loquatur aut omittat, nil ducens vel meritum, *vel* mercedem, *vel* pœnam. Enim vero superat vires naturales, an autem per gratiam illum nobis acquirere possimus, videant Theologi.

§. 3.

Amor-Sui in se involvit (1) *amorem veritatis & justitiæ*, secundum quem *sine damno & injuria* cum aliis vivere anhelamus. (2) *Amorem voluptatis*, secundum quem cupimus *commode*, i. e. *absq; mentis perturbatione & corporis dolore* vivere (3) *amorem magnitudinis*, secundum quem affectamus *Esse nostrum perficere*, ut simus perfectiores, quod fit per potentiam, scientiam, dignitatem, divitias &c.

§. 4.

Quoniam homo se ipsum non potest non amare, liquet *Odium-sui directum*, quo quis esse & bene-esse suum tanquam nocivum aversetur, dari non posse; etenim odium aliorum non odium, sed amorem sui supponit. Nec obstant *αυτοφανοι & qui se nunquam exstiteisse mallent.* Isti enim suum *bene-esse* tantopere amant, ut ipsum *esse* illis ingratum evadat, quia non & simul iis *bene* est. Optare vero *το non-esse*, quia non habemus *το bene-esse*, ex vehementi nostri-amore provenit, quæ etiam ratio est, quare damnati, quia illis male, *το non-esse* optant. Et quamvis *Martyres ac ægroti mem-*

bra

bra sua secari permittentes speciem præbeant, acsi se odio habeant, nihilominus tamen rem prout in se est consideranti patebit, illos maxime rationaliter se amare, dum pro jactura minoris boni acquirunt sibi possessionem multo majoris. *Indirectum* vero *odium* attribui potest *vitiosis*, qui *secum non aliter ac cum hoste infensissimo agunt, quem voluptate horaria imbuunt, ut in æternam miseriam præcipitent*; hoc autem non nisi amor sui irrationalis & excedens est.

§. 5.

Usus amoris-sui genuinus se exerit in eo, *ut rationaliter nostri conservationem promoveamus*, & in tantum minime est *vitiosus*. Etenim *studium se conservandi neutiquam est malum*, quoniam (1) *Deus illud homini indidit.* (2) *& Scriptura S. normam amoris aliorum fecit rationalem amorem sui:* Omnis autem *Amor-sui* est *rationalis*, quamdiu in eligendis bonis modum prudenter observat, sc: I. *Ut excellentiora bona præferat minus excellentibus.* E. g. Deum creaturis, bona communia privatis, bona animi corporeis, honestum decoro &c. II. *Ut in prosecutione bonorum sibi inservientium nunquam vel Dei honorem, vel alterius jura lædat.* E. g. ne appetat, quæ Deus prohibuit, & alterius sunt, aut quæ propriam felicitatem turbant.

§. 6.

Abusus amoris-sui est, quando *genuinum usum relinquendo nos amamus quomodo, quantum & in quibus non debemus*; quo excessivo sui-amore obcœcatur homo, *ut se suaq; omnia pluris quam decet faciat,*

oiat, defectus suos vel non videat, vel reputet virtutes, & dum se conservare intendit, turdi instar propriam ruinam sibi accelerat.

§. 7.

Remedium adversus *Φιλαυτιαν* hanc vituperabilem esse potest, *si cogitemus veram nostri felicitatem per excessivum sui-amorem non comparari, sed loco ejus summam nostri miseriam potius promoveri,* qui enim *feliciter* i e. *tranquille* qua mentem, *sane* qua corpus, & *secure* vitam transigere vult, ille dicto modo amorem-sui moderari, & secundum caput antecedens justus sui æstimator esse debet.

Cap. III.
De
Amore & Odio.

§. 1.

E descripto *amore-sui* propullulant *Amor* & *Odium*. *Amor* est *voluntatis cum suavi spirituum fluxu conjuncta propensio, & inclinatio versus id, quod bonum intellectus judicat.* Contra *Odium* est *voluntatis cum acriori Spirituum fluxu conjuncta aversio & separatio ab eo, quod intellectus malum judicat.*

§. 2.

Amor differt a *voluptate*, siquidem *ille* sine *hac* esse potest, quod tamen haut possibile, quandoquidem res sine se ipsa esse nequeat. E. g. Christianus inimicum suum amat, filius pro-

bus

bus injuſtum parentem diligit, ſed citra voluptatem. Quin imo cum *voluptas* & *dolor* ſunt duo contraria, ſi voluptas idem eſſet cum *amore*, *dolor* idem cum *odio* quoq; eſſet; jam autem dolorem ab odio differre evidens eſt, quoniam dolor ſine odio exiſtit. E. g. homo ſeipſum incaute lædens dolet, ſed non habet objectum, quod odit, dolorem ſuum quidem odit, nam dolor eſt dignus odio, at odium doloris non eſt ipſe dolor. Vid. Malebr. Lib. V. de Inq. Verit. c. 12.

§. 3.

In *amore*, quando non eſt cum vehementioribus aliis paſſionibus conjunctus, *pulſus ſaugvinis eſt æqualis & ſolito intenſior ac robuſtior*; hinc dulcis calor in pectore ſentitur, & concoctio ciborum promte fit in ſtomacho adeo, ut hic affectus valetudini ſit perutilis. At contrario modo ſe res habet in *Odio*, in hoc *curſus ſangvinis eſt inæqualis & debilis*, proinde ſentitur frigus mixtum cum calore aſpero & pungente in pectore, ſtomachus ceſſat ab officio, & proclivis eſt ad nauſeam & evomendos cibos, aut ſaltem ad eos corrumpendos, & in pravos humores convertendos, adeo ut ſanitati hic affectus noceat.

§. 4.

Proprietates Amoris ſunt (1) *quod ſit affectus uniens*, ubi amans cum re amata ſe unire intendat, unione non quidem ſemper reali, attamen *intentionali*, ſc. appetitus cum idea boni, quo

fit, ut mens amantis magis sit ubi amat, quam ubi animat. (2) *Quod quærat amatæ rei complacere*, amans enim sollicite cavet, ne ullo modo personæ, quam amat, displiciat. (3) *Quod magnas vires ad agendum & prosequendum finem suppeditet*, quare & Scriptura S. ejus vim cum vi mortis comparat, (4) *quod operas & labores, quibus ad finem suum utitur, reddat jucundos.* Bene enim Augustinus: *nullo modo*, inquit, *sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, piscantium.* (5) *Quod amor paululum vehemens amatores e statu suo dimoveat, nec sui juris esse sinat, sed in ea, quæ amantur penitus transferat, iisque plane subjiciat.* (6) *quod conjunctam habeat corporis & mentis titillationem*, ubi nimis acris ad illam impetus producit nævorum in re amata vel totalem vel partialem obscurationem. (7) *Quod sit res garrula & credula*, id quod non nisi a vehementi ad voluptatem amoribus annexam inclinatione provenit.

§. 5.

Quando bonum & malum per sensus nostros externos imprimis per visum nobis exhibetur, & iisdem gratum vel ingratum esse judicatur, vocatur vel *pulchrum*, vel *deforme*. Amor qui fertur in res *pulchras*, dicitur *complacentia*. Odium vero quod fertur in res *deformes*, dicitur *Horror*. Hæ passiones vehementiores sunt quam ceteræ amoris & odii species, idque ideo, quoniam quæ ad mentem penetrant per sensus, eam magis afficiant, quam quod

illi

illi exhibetur a ratione, & quia maximè fallunt, diligentius cavendæ sunt.

§. 6.

Per judicium, quod de objectorum bonitate & pulchritudine habemus, accidit, ut nonnulla plus, alia minus, aut hoc vel illo modo diligamus, hinc varia nomina ad amorum diversitatem stabiliendã invenerunt, qualia sunt

I. *Amor concupiscentiæ*, qui est *ipse amor sui cum desiderio uniendi secum ea, quæ ad bene esse nostrum pertinent*: Hic extendit se ad omnia bonorum genera.

II. *Amor complacentiæ*, qui est *suavis propensio voluntatis, qua vergimus in res, quas in aliis ut inclinationi nostri convenientes, advertimus.* Hôc aliorum vitam virtuosam, decoram, hortos, domus &c. prosequimur.

III. *Amor amicitiæ*, quo tendimus *nos unire cum objecto, a quo propensio nostra cognosci & reciproca propensione rependi queat.* Hoc homo hominem amplectitur, bruta enim hic excluduntur. NB. Quidam ab *amore amicitiæ* adhuc distinguunt *amorem benevolentiæ*, ita ut in *illo* amatum apud amantem tantundem sit, atque ipse sibi, in *hoc* amans seipsum re amata majorem faciat.

IV *Amor obedientiæ*, quo prosequimur *objectum talis eminentiæ & a quo tot in nos perfecta sunt beneficia, ut voluntati plane subjicere par sit.* In hoc amans amatum majoris seipso æstimat, qualis est amor erga Deũ & quosvis superiores Quid *Odium aversationis, displicentiæ, inimicitiæ & inobedi-*

bedientiæ sit, e jam explicata amorum natura collectu haud erit difficile.

§. 7.

Objectum amoris *universale* est τὸ *bonum*, sive quod *perfectivum & conservativum naturæ nostræ est*, ut honesta, jucunda, decora, utilia. Odii *Objectum* universale est τὸ *Malum*, seu *quod naturæ nostræ inconveniens & nocivum*; imprimis se exerit odium ob acceptam *injuriam*, & oritur in nobis e *malæ, quam de persona & facto hausimus, opinione*. Amoris autem *specialia* objecta sunt imprimis tria (1) *Deus*, qui supra nos (2) *ceteri homines*, qui juxta nos & (3) *reliquæ creaturæ*, quæ infra nos sunt. Hæcce *totalia* objecta tres amoris species constituunt, dignas ut uberius explicentur.

§. 8.

Amor, quo amplectimur *Deum*, esse debet *summus*, i. e. *cui homo omnes amores suos subordinare debet*, siquidem Deus est bonum *summum* fonsque omnis boni creati, merito itaque super omnia bona creata amandus venit: id quod fit triplici modo (I) *per amorem concupiscentiæ*, in quo *Deus* ut *nostrum bonum, a quo ut creatio sic conversatio ac promotio esse & bene esse nostri unice pendeat, menti exhibetur & appetitur*. Hic amor augetur per meditationem perfectionum divinarum præsertim omnipotentiæ, bonitatis & misericordiæ infinitæ, dum inde colligimus Deum non solum posse, sed & velle, ut nobis bene sit, NB. Quod vero creaturæ rationali post

post voluntatis divinæ spontaneam desertionem Deum denuo appetere liceat, ut Deum suum, ex speciali gratia est, quam sacræ litteræ *Misericordiam* vocant. (II) Per *amorem amicitiæ*, in quo *Deus nobis offertur, ut perfectissima Mens, quæ amantem creaturam suavi influxu vicissim beare vult.* Istum modum amoris ratio ignorat, nam quod Deus Sanctus cum creatura minus sancta amore amicitiæ unire velit, demonstrat revelatio. (III) Per *amorem obedientiæ*, quo *Deus tanquam Autor & Dominus noster concipitur, cui nostram voluntatem absolute & lubenter subjicimus, eique omni modo complacere laboramus.* Hic amor est *fundamentum, & compendium omnium nostrarum obligationum, sine quo amor concupiscentiæ & amicitiæ vanus ac fucatus est.* Si quis enim per impossibile perfecte concupisceret Deum ut suum summum bonum, atque cum eo amicitia jungi optaret, neque tamen voluntatem suam voluntati divinæ subordinare vellet, hunc tamen Deus non redamaret, siquidem naturam abnegare nequit, per quam æternum vult, ut creaturæ rationales libere & in totum se sibi subjiciant. Proinde & *omnis cultus divinus absque illo amore inanis est.* Contra *amor obedientiæ sine amore amicitiæ & concupiscentiæ ad metum servilem utcunque accedere videtur.* Quid autem de *amore Dei puro*, (:*quo citra spem gaudii æterni aut ullius præmii Deus amandus, etiamsi anima sciverit, se ab illo perpetuis ignibus cruciandam esse, & quidem nullo alio fine,*

quam

quam quia justitiæ divinæ ita placuerit) statuendum, Theologis discutere relinquo.

§. 9.

Quoniam Deus est summum bonum, justum esset illum semper amore prosequi. Existit tamen proh dolor in hominibus I. *Odium inobedientiæ* amori *obedientiæ* oppositum, hoc vel *indirectum* & *omnibus peccatoribus* attribui potest, vel *directum* daturq; non nisi in hominibus *perfracte malis*, qui *distinato consilio & cum plena voluptate tendunt in id, quod Deo contrarium esse norunt*, & hic est summus impietatis gradus. II. *Odium inimicitiæ* amori *amicitiæ* adversum, estque rursus vel *indirectum*, quod de *omnibus peccatoribus* dici potest, siquidem leges Dei violando tanquam ejus inimici se gerunt, vel *directum* apud homines *eminenter malos*, qui *avertunt se a Deo tanquam sibi nocivo, vellentque, ut plane non esset Deus, aut certe ut ita sanctus ac malorum vindex non esset.*

§. 10.

Progredimus ad *Amorem rerum, quæ juxta nos, seu aliorum hominum*, hujus commune fundamentum esse potest, quia alii homines *ut media promovendæ nostræ felicitatis* possunt considerari, cum sine aliorum societate & consortio nemo mortalium *feliciter* vivit. Dn. Wesenfeld in Pathol. Pract. constituit pro fundamento illius amoris *identitatem seu similitudinem aliquam hominum inter* se, quam facit triplicem (1) *identitatem naturæ totalis*, qua *simillimam naturam quoad*

cor-

corpus & mentem habent, (2) *identitatem originis*, qua *eundem habent ab uno ortum*, (3) *identitatem societatis universalis*, qua *homines omnes ut membra magni cujusdam corporis moralis se mutuo respiciunt*. Quod autem *identitas* vim excitandi amorem possideat, putat, dependere a *convenientia*, *quæ in omni simile exstet*, *indeque* esse, ut *boni* versus *bonos*, *læti* versus *lætos*, *docti* versus *doctos*, *modesti* versus *modestos* magis ferantur, quoniam homines convenientiam intime amant. Atque his tribus fulcris *naturalis ac generalis aliorum hominum amor nititur*, indeque concludi potest, *alios tanquam nos ipsos amandos esse*. Sed cum fulcra imbecilliora evasissent amore nostri inordinato, Deus amorem aliorum novo quodam fulcro communivit, eundem *amori obedientiæ erga se innectendo*, ita ut *nemo jam amare Deum recte queat, nisi & alios* amet. Add. Theol. Mor. Scriptor.

§. 11.

Pro specialis identitatis diversitate specialiores hominum oriuntur Amores; Etenim

I. *Identitas inclinationum s. ingeniorum & morum* est fundamentum *amoris amicitiæ inter homines*; nam secundum commune brocardicum; *Idem velle & idem nolle veram efficit amicitiam*. Ubi tamen non excludimus *identitatem sententiarum*, quæ quamvis per se non necessaria; stultum enim esset ob diversitatem sententiarum se odisse, multum tamen ad amicitiæ firmitatem impr. apud eos, qui aliquali adhuc laborant stultitia, tribuit. *Amicitia* differt a *sympathia*,

illa enim *liberum & voluntarium quoddam*, hæc vero *naturale & necessarium quoddam est*, quando sc. *in societate quadam videmus aliquem, cujus habitus totaque externa species cum præsente corporis nostri dispositione arcanis quibusdam vinculis consonat, ipsius visu illico vehementer permovemur, & ad ipsum amandum arcana quadam & dulci vi trahimur*, cujus contrarium in antipathia accidit.

II. *Identitas finis* sc. *quoad sobolis procreationem* est fundamentum *amoris conjugalis*. Hic *generatim* convenit cum *amicitia*, *speciatim* requiritur *diversitas sexus*, quo simul patet, *omnem amorem diversi a nobis sexus citra dictum finem esse irrationalem*.

III. *Identitas sanguinis & carnis* est fundamentum amoris *inter Parentes & liberos*. Illi enim se habent ut *stirps ad ramos*, hi vero ut *rami ad stirpem*, unde parentes liberos diligunt, tanquam *aliquid sui*, liberi vero parentes tanquam *originem sui*: quo etiam liquet, cur *amor benificentiæ magis descendat quam adscendat*, videl. *quoniam naturale est, ut succus a stirpe in ramos profluat, non vice versa*.

§. 12.

Amori *aliorum hominum* opponitur *Odium aliorum*, sed quia omne odium naturaliter & rationaliter fundari deberet in *diversitate & repugnantia*; inter homines autem non universalis contrarietas sed convenientia & similitudo exstet, patet, *odium aliorum universale esse contra-naturale*, vocarique solet *Misanthropia*

pia, cujus ſpecies *μισογυνια* & *μισοτεκνια*. Odium vero *particulare* quorundam hominum, qui nos infelices reddere conantur, i. e. *inimicorum* in natura fundatur, ac a ſibi relicta ratione permittitur, Scriptura tamen ſacra hoc odium improbat, & Chriſtianis *amorem inimicorum* injungit, *qui* judice Auguſtino *ſolis Chriſtianis eſt proprius*.

§. 13.

Denique ſequitur *Amor rerum, quæ infra nos* ſunt, qui ideo nobis eſt ingenitus, quod in præſenti hoc ſtatu absque rerum infra nos poſitarum uſu nos conſervare nequeamus, & quamvis illæ res innumeræ eſſe videātur, in tres tamen claſſes diſpeſci commode poſſunt. Etenim vel afficiunt *mentem*, dicunturque *bona honeſta*; vel *ſenſus*, dicunturque *bona jucunda*; vel *utriusque bene eſſe mediate* promovent, dicunturque *utilia*. Pro triplici autem bonorum diverſitate tres oriuntur in nobis amoris ſpecies. (1) *Amor bonorum honeſtorum*, qui habitualis factus & rite moderatus gignit virtutem *Modeſtiæ*. (2) *Amor bonorum jucundorum*, qui habitualis factus & rite moderatus efficit *Temperantiam*. (3) *Amor bonorum utilium*, qui habitualis factus & rite moderatus producit *Sufficientiam*. E triplici hac diviſione Amoris tres *cardinales*, uti vides, oriuntur *virtutes*, de quibus agitur pluribus in *Ethicis*.

§. 14.

Jam ad *Characteres*. *Amor* ſe prodit, per va-

rios membrorum actus. *Oculi* sunt in amore *ardentes, ac defixi in objectum amabile, lingua est garrula & totus vultus hilaritate abundat*, quinimo *omnia membra sunt ad motus, qui inservire passioni huic possunt, perpetuandos, promta ac vegeta.* Cujus contrarium in *odio* observatur.

§. 15.

Singularia quæ circa *amorem* & *odium* notari merentur, sunt sequentia.

I. *Si imaginamur quendam bonum exhibere ei, quem odio habemus, odio etiam erga eum afficimur. Si contra eundem imaginamur malo afficere eandem rem, amore erga ipsum ducimur.*

II. *Qui, quem amat odio erga se affectum imaginatur, is erga illum odio & amore simul conflictabitur.*

III. *Qui rem amat, eodem amore ea, quæ cum re amata conjuncta quodammodo sunt, complectitur*, nam dum vis imaginatrix circa rei, quæ delectationem afferre potest, imaginem tota occupatur, efficit, ut *magna spirituum copia eo confluat, quibus, cum cerebri fibræ vehementius concutiuntur, aliæ illis cohærentes in ejusdem motus societatem vocantur.*

IV. *Si quis rem amatam odio habere incipit, ita ut amor plane aboleatur, eandem majori odio ex pari causa prosequitur, quam si ipsam nunquam amasset.*

V. *Si quis ab aliquo se amari imaginatur, nec se ullam ad id causam dedisse credit, hunc tenerrimo amore vicissim prosequitur.* Etenim talem, ut qui nobis prodesse vult, imaginamur.

VI. *Qui se odio haberi ab aliquo imaginatur, nec se ullam*

ullam odii causam ei dedisse credit, eandem vicissim odio habet, quem autem odio habemus, ei malum inferre conabimur, (nisi ex eo majus nobis malum oriri posse timemus:) Etenim talem, ut qui nobis nocere vult, imaginamur.

VII. *Ex eo solo, quod rem aliquam affectu lætitiæ & tristitiæ, cujus ipse non est causa efficiens, contemplati sumus, eandem vel amare vel odisse* solemus. Et inde intelligitur, qui fieri possit, ut quædam amemus vel odio habeamus absque ulla nobis cognita causa.

VIII. *Secundum hypothesin* Dn. Besse tr. de Pass. *amor erga genus femininum inservit promovendæ digestioni, & format in stomacho bonum chylum, cujus tamen contrarium fit, si hæc passio est vehemens.*

§. 26.

Usus Amoris in genere est, ut *felicitas communis ac propria conservatio promoveatur, sitque vinculum universale omnium creaturarum*, quem in finem etiam *odium* nobis est datum; quamvis quidem hic affectus videatur humanitati contrarius, æque tamen est necessarius quam amor, uti enim amore opus habemus ad adpetenda *objecta nos conservantia*, sic & odio ad *declinanda objecta nos destruentia*. *Specialis* usus amoris se exerit in eo, ut (1) *doceamur, regulas justitiæ de non lædendo & aliis benefaciendo observare*, (2) *ut ad pietatem erga Deum & virtutes alias erga homines impellamur.* Odii *usus* specialiter eo tendit, *ut impellamur ad vitiorum horrorem*, quo simul persuademur, *malorum fugere consortia*; specialissimum enim odii ob-

jectum debent esse *Peccata*, ad quæ rite declinanda odium a natura maxime implantatum.

§. 17.

Abusus Amoris deprehenditur in omnibus ejus speciebus.

I. *Amor concupiscentiæ* aberrat, (1) *ratione objecti*, cum *ordinem in appetendis objectis, quem ratio præscribit, non observat*, E. g. quotiescunque creaturas Deo & inter has bruta hominibus præfert; (2) *ratione gradus*, dum *excessivo modo prosequitur bona decora, jucunda, & utilia, quo ipso non nostri conservatio sed potius destructio paratur*. Ubi observandum, quod post lapsum excessivus hic bonorum dictorum sc. gloriæ, voluptatis, & lucri amor omnium mortalium corda occupaverit, & *trium vitiorum cardinalium* sc. *Ambitionis, Luxuriei* & *Avaritiæ* mater infelix exstiterit. His tribus malis inclinationibus totum genus humanum proh dolor! affligitur, omniaq; inde vitia propullulant, & cum dependeant a physica nostri temperamenti constitutione, pro ejus diversitate una præ altera in nobis dominium obtinet, quæ dicitur *Passio Dominans*. Vid. pluribus propediē edenda nostra Diss. de Princ. Honesti.

II. *Amor amicitiæ* aberrat, *quando se unit, cum hominibus stolidis & impiis*: vid. l. c.

III. *Amor obedientiæ* aberrat, *quando subordinationem gradus non attendit*. E. g. si parentibus magis quam principi, & huic magis quam Deo actus nostros cum promtitudine subordinamus.

§. 18.

§. 18.

In Odio aberramus, vel *ratione objecti*, quando *res amore dignas odio prosequimur*. E. g. creaturas Dei, monitores nostros, leges, veritatem &c: vel *ratione gradus & durationis*. E. g. si cum imimicis nostris gratiam inire recusamus, & eos indesinenter oderimus.

§. 19.

Remedia addimus & quidem.

I. *Excessivum amorem gloriæ* evitabimus, si consideramus, *honorem mundanum sæpe haut mereri operam, quæ in eo obtinendo & conservando impendenda est, etenim ambitiosus multis periculis & malignorum insidiis se exponat, metuatque necesse est, ne a summo, quod assecutus est honoris culmine, in ignominiæ & infamiæ abyssum præcipitetur.*

II. *Inordinatum amorem lucri* evitabimus, si perpendemus, *quod nostra felicitas haut dependeat a multorum bonorum possessione, sed justo eorundem usu, quodque avarus multis curis animum frustra excruciat, sibique ipsi sæpe sit pœna, dum possessis bonis uti veretur:* ne dicam, *hominem terrenis inhiantem animæ salutem & bonorum cælestium acquisitionem perdere.*

III. *Immodicum amorem voluptatis* & imprimis *Veneris* evitabimus, (1) *fuga omnis occasionis ad amorem illicitum allicientis*; fugere enim occasionem peccandi est ipsum peccatum fugere, (2) *fuga otii*, nam otia si tollas, periere Cupidinis arcus, (3) *frugalitate in cibo & potu*; siquidem sine Cerere & Baccho Venus frigeat, , (4) *consideratione malorum, quæ amorem stultum & perversum*

versum comitari solent; bene enim Drexelius hanc in rem loquitur:

Corpus, Opes, Animam, Ingenium, Famam, Virtutes debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.

Vid. plura huc facientia in Omeis. Eth. Pyth. App. de arte regend. affect.

CAP. IV.

De Desiderio & Aversatione.

§. 1.

E Primogeniis amore sc. & odio' *immediate* ortæ passiones sunt *desiderium* & *aversatio*. *Desiderium* est *fortis animæ agitatio & concitatiori spirituum motu producta ad cupiendum bonum nondum possessum*, ita non solum appetitur præsentia boni absentis, sed etiam conservatio præsentis: quando vero *mens disponitur ad fugiendum malum imminens*, dicitur *Aversatio*.

§. 2.

Desiderium differt ab *amore*, (1) quod *illud* tantum per modum *actus*; *hic* etiam per modum *habitus* se habeat, (2) quod *illud* vergat in *bonum nondum obtentum*, *hic* vero non desinat, licet *sit acquisitum*, & (3) quod *amor* ceu radix desiderii *præcedat*, *desiderium* vero ceu ramus & manus amoris *sequatur*. Differt etiam *Odium* ab *aversatione* in eo, quod odium *tantum* erga *homines*, *quos ut nostri inimicos concipimus*, eorumque *actiones malas* se exerat: *Aversatio* autem

autem præterea ad *res brutas & inanimatas, quas nobis nocivas credimus,* se extendat. Hæc vero sæpe vel a *naturali antipathia,* vel *stolida phantasia* dependet, indicioque est, *homines ea maxime laborantes plus passionis quam rationis possidere, ac mente corporeque esse molliores,* uti exemplis suis probant feminæ.

§. 3.

In *desiderio & aversatione* cor violenter agitatur, quod ingenti cum impetu magnam spirituum & sangvinis quantitatem ad cerebrum projicit, ut in eo ideam voluntatis conservent, & inde transeant in organa sensuum & musculos membrorum, quæ adhiberi possunt ad obtinendum, quod desideratur, aut declinandum, quod aversamur.

§. 4.

Proprietates desiderii sunt, (1) quod sit *inquietum.* Inquietudo hæc oritur ex sensu indigentiæ nostræ, & absentia boni illius, quod nobis conveniens esse judicamus, (2) quod sit *indefinitum,* & de objecto in objectum semper procedat. Cum enim bona creata sunt finita, non possunt infinitam animæ nostræ ad desiderandum capacitatem implere, quo patet, *illud objectum, quod cupiditatem nostram sistere velit, debere esse infinitæ bonitatis,* hæc autem cum soli Deo competat, & in ipso *unice summe beati esse* possumus.

§. 5.

Cupiditas sciendi quid & quomodo, ac animum

mum variarum rerum cognitione oblectandi, dicitur *Curiositas*, quæ soli homini est propria; hinc Hobbesius hominem a cæteris animalibus non solum *ratione*, sed etiam *curiositate* differre censet. Curiositatis usum & abusum belle exprimit Bernhardus: *Sunt*, inquit: *qui scire volunt tantum, ut sciant, & turpis* curiositas *est. Sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis* quæstus *est. Sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis* vanitas *est. Sunt, qui scire volunt, ut ædificent, &* charitas *est. Sunt porro, qui scire volunt, ut ædificentur, &* prudentia *est.* Præterea hic etiam observandum, quod boni diuturni possessio excitet speciem aversationis, quæ dicitur *Satietas. Ita enim constituti sumus, ut pleræque omnes res, quas possidemus, bonæ non sint nostri respectu nisi ad tempus, & postea fiant incommodæ, quod præsertim apparet in cibo & potu, qui non sunt utiles, nisi quamdiu viget appetitus, fiuntque noxii, ubi ille cessat, cessante autem appetitu, gustui ingrati sunt, pariuntque fastidium.*

§. 6.

Objectum formale desiderii est *bonum futurum quatenus acquisitu possibile.* Stolidum enim esset, illud ultra sphæram activitatis suæ extendere. Per hanc *possibilitatem objecti* differt desiderium non solum a *spe, fiducia, lætitia*, ut apparebit ex infra dicendis, sed imprimis etiam a *Voto*, Germ. Wunsch / quod *cum bonitate objecti impossibilitatem copulat.* E. g. votum quo optarem, ut omnes homines felices sint, ac una religione Deum colant.

§. 7.

§. 7.

Prout in desiderio ratione objecti requiritur ejus *possibilitas*, sic ratione subjecti adesse debet *Indigentia* i. e. absentia ejus, quod ad esse & bene-esse nostrum aliquid conferre potest: Omne enim desiderium est *nota universalis nostræ paupertatis*, ideoque de Deo nulla re indigente prædicari nequit, qui eam ob rem etiam vocatur *Sufficiens* i. e. *non indigens, ut per desiderium quiete sua se privet, ad quærendam voluptatem in rebus extra se.* Homines contra laborant *indigentia*, etenim, dum finita tantum gaudeant natura, non possunt non bonis multis carere, quæ extra se quærere & desiderare opus sit.

§. 8.

In desiderio innumeri & complicati motus membrorum sunt, ubi præcipuus est ille motus, qui inquietudinem, cum molestissima vellicatione nervorum conjunctam, in corpore excitat; Ubi etiam sæpissime advertitur *Languor*, qui est *dispositio ad relaxationem & cessationem omnis motus, sentiturque in omnibus membris, proveniens exinde, quod non sat spirituum nervos ingrediantur.* Imprimus autem languor est *character* cupiditatis rei, *cujus acquisitio non concipitur ut possibilis in præsenti*, quo fit, ut spiritus maneant in crebro, sintque occupati in confirmanda idea objecti desiderati.

§. 10.

Singularia, quæ circa desiderium notari merentur, sunt

I. *Quod desiderium sæpe per ipsam ignorantiam* (puta *partialem*) *incendatur.* Sic divitias, honores, gloriam, voluptatem nulli magis excessive desiderant, quam qui minus objectorum istorum cum esse & bene-esse nostro nexum norunt. Huc refer *desiderium alieni status*, ubi rusticus mercatoris, mercator eruditi &c. conditionem stolide appetit.

II. *Quod vetita desiderium nostrum magis stimulent quam licita*, nam prohibita interventu imaginationis extollimus, iisque insignem quandam voluptatem, cujus fruitione interdicimur, inesse præsumimus.

III. *Quod desiderium boni plus delectationis quam ipsa fruitio nobis conciliet*, siquidem ibi imaginatione omnia in majus extollente, hic vero sensibus utimur, quibus bonum non aliter, quam prout actu impressionem in corpus fecit, percipimus.

§. 11.

Usus naturalis *desiderii* est, ut sit *stimulus ad supplendam indigentiam*, etenim expleta indigentia desiderium ipsum naturaliter cessat. *Aversationis usus est*, ut sit *stimulus evitandi & fugiendi malum imminens:* hinc aversatione malorum, vitiis naturaliter annexorum, ad illa intermittenda impellimur. *In specie* desideriū prodest, (1) ut *varia bona felicitati nostræ inservientia nobis acquiramus*, (2) *ut, si quando in bonis finitis nullam quietem invenire possumus, mentem nostram versus Deum ceu bonum infinitum erigere discamus.* Porro *curiositas prodest*, ad

ad promovenda doctrinæ & bonarum artium studia; Et *fastidium* imprimis *suadet temperantiam, ac ad illam virtutem quasi manuducit.*

§. 12.

Abusus desiderii spectandus est ratione *objecti* & *gradus*. (1) *Ratione objecti* desiderio abutimur, *quando illud extendimus ad bona, quæ nostrum meritum & eruditionem superant, quæq; leges vetant*: quale est desiderium furis, adulteri, fuitque causa lapsus Angelorum & Protoplastorum, & adhuc est ruina infinitorum hominum. II. *ratione graduum* in desiderio vel *deficimus*, *dum inertè quiete præsentium fruitioni ita incumbimus, ut futura non attendentes nil desideremus*, qui defectus dicitur *Torpor*, vel in desiderio *excedimus, dum nostris cupiditatibus nullum modum & finem ponimus*, quale est desiderium ambitiosi, avari &c. *Aversatione* abutimur, dum se extendit *ad res, quæ secundum rectam rationem non sunt fugiendæ, sed sensibus tantum ac opinioni nostræ malæ ac noxiæ videntur.* Sic piger aversatur labores, impius fugit preces & templa.

§. 13.

Remedia contra hos abusus erunt.

I. Si reputamus, *quod bonum omne quidem amare ac in ejus contemplatione lætari possimus*, ut pote in perfectionibus Dei, Angelorum, Regum &c. *sed desiderare tanquam nostra bona non alia debeamus, quam quæ naturæ & conditioni nostræ commensurata, ac legibus concessa sunt.*

II. Si cogitamus, *quod ad commode vivendum*

non multis desideriis opus sit, quodque insatiabilis cupiditas efficiat, ut, desiderando ea, quæ non habemus, obliviscamur eorum, quæ jam possidemus. Huc etiam facit *mortis meditatio*, quæ impediet, *ne quicquam impense cupiamus, sed potius ad naturam vivamus, hæc enim paucis contenta nulla re indiget.*

III. Si consideramus *illud malum, quod nobis putamus imminere, an revera sit malum, an vero apparens tantum, & an non fructum ac utilitatem nobis potius afferre queat.* Sic vir honestus ob patriæ defensionem, & divinæ gloriæ promotionem non fugit calamitates, paupertatem, quinimo nec mortem: Novit enim *omnem molestiam, quæ vel majorem avertit molestiam, vel uberiorem voluptatem creat, esse amplectendam.*

Cap. V.
De
Spe & Metu.

PRogredimur ad mixtas passiones, cujus primæ species sunt *Spes* & *metus*. *Spes* est passio orta inde, *quod bonum facile obtineri posse credamus*, si vero *imminens malum facile nec ita tarde a nobis posse averti* opinamur, dicitur *Confidentia*. Sed *Metus* est passio orta inde, *quod malum imminens difficulter declinari posse credamus*, si vero *bonum propinquius difficillime & tarde nos obtenturos esse*, arbitramur, dicitur *Diffidentia*.

§. 2.

§. 2.

Spes & *metus* celerrime ſibi ac frequentiſſime in nobis ſuccedere ſolent, quæ ſucceſſio *ſpei* & *metus* oritur ab incerta conditione objectorum, quæ modo ut *parabilia* modo non, modo ut bene *ſuccedentia* modo non, modo ut *imminentia* modo non, ſe nobis exhibent, proinde tota noſtra vita in *perpetua reciprocatione ſpei & metus* conſiſtit, quippe quæ vocatur *Animi fluctuatio.*

§. 3.

Summus *ſpei* gradus dicitur *fiducia*, vergitque in bonum *certo* obtinendum, vel acquiſitum *certo* retinendum, ac omnem metum amittendorum bonorum vel malorum eventurorum excludit. Summus *metus* gradus appellatur *Deſperatio*, quæ eſt *metus ſine omni ſpe conſequendi bona aut declinandi mala.* Quando vero metus ſubito in nobis exiſtit, dicitur *Terror*, qui ſi eſt citra cognitionem periculi unde & quale ſit, cognominatur *Panicus.* Sed metus mentem loco movens, vocatur *Pavor*, quando autem dui permanet appellatur *formido.*

§. 4.

Ad ſpem referimus ceu ſpeciem *Audaciam* ſive *Animoſitatem*, quæ eſt revera *ſpes actuoſa* ſeu *ſpes ad boni futuri conſecutionem omni poſſibili conatu contendens.* NB. Bonum illud futurum, in quod vergit *multis periculis & incommodis ſuſtinendis obſeptum eſt*, quoniam vero hæ difficul-

ta-

tates, ut malum ſpectari poſſunt, vulgaris opinio eſt enata, acſi audacia pro objecto habeat *malum arduum*, idque futurum, cum tamen hoc non niſi metum, & ſi grave, deſperationem concitare ſoleat.

§. 5.

Ad metum referimus *verecundiam* & *reverentiam*. *Verecundia* notat illam *ſollicitudinem animi, qua famæ noſtræ ſtudemus, & de cavendo exiſtimationis detrimento, ex hac vel illa inhoneſta aut indecora actione proventuro, anxie laboramus*. Verecundia hæc differt a *pudore*, quod hic præſentium, illa abſentium judicia; hic externa ſui ſigna edat, illa intra animum verſetur. Germani recte diſtingvunt per Schaam und Scheu. *Reverentia* notat inclinationem animæ, qua de *ejus, quem amamus, benevolentia retinenda, iraque, quem ſuſpicimus, avertenda ſumus ſolliciti, eamque ſollicitudinem caute ubique & obſervanter agendo declaramus*. German. Ehr-Furcht.

§. 6.

Univerſalis *proprietas* dictarum paſſionum eſt *inquietudo*, quæ a mixtura cupiditatis provenire videtur. Nam *Metus* maxime eſt inquietus, cujus inquietudo ſolet *ſollicitudo* ſeu *Angor* vocari. *Spes* tranquillior eſt propter adjunctam lætitiam, inquietatur tamen mixtura cupidinis & ſucceſſione metus. *Fiducia* vero minimum ex inquietudine participat.

§. 7.

Landesbibliothek Oldenburg

§. 7.

Formale *objectum* ſpei, eſt *bonum futurum acquiſitu facile*, in quo differt a *deſiderio*; inde etiam contingit, ut ſecum trahat *lætitiam*, quod enim mihi concipio ut obtentu facile, id fere ut præſens imaginor, bonum vero ut præſens ſpectatum parit *lætitiam*. Vi contrariorum formale *objectum* metus, eſt *bonum acquiſitu difficile*, aut *malum*, *cui effugere parum ſpei eſt*.

§. 8.

Characteres pro diverſitate ſupra recenſitorum affectuum etiam diverſi ſunt.

I. *Spes & metus* eodem ferme modo, quo *Lætitia & triſtitia*, ſe produnt, vid. cap. ſeq. niſi quod metus ſe exerat impr. per *Tremorem*; Hic oritur, quando nimis pauci ſpiritus veniunt e cerebro in nervos, dum enim per metum ſanguis condenſatur, cerebro non ſat ſpirituum ſuppeditatur, atque ſic etiam nervi ſpirituum penuria laborant.

II. In *audacia* eſt *magna pectoris contentio, plenior inſpiratio, ſpiritus vehemens & ſonorus, caput ſeſe inflato collo obſirmat, ac demum elatis ſuperciliis, corrugata fronte, defixis oculis, vultu truculento, & minaci ſe prodit*; Atque hæc magna ex parte pectoris tenſionem ſequuntur ob muſculorum & nervorum conſenſum.

III. Qui *terrore & pavore* tanguntur, velut *exanimati mente perturbantur & ſtupent, unde ſæpe attoniti immobilesque ſubſiſtunt, quaſi moribundi, membraque cum pallore occupat frigus, alii vero in*

fugam se conjiciunt, alii prosternuntur, toto corpore sentiunt, atque hinc exsiliunt, ac subito artuum tremore concutiuntur. Hæcce proveniunt ex subito sanguinis & succorum motu, vel versus *cranium*, unde succus nerveus momento quasi in cerebro subsistens non distribuitur, hinc *ecstasis, stupor, immobilitas, pallor & sensuum quies &c.* vel versus *membra externa* excutiuntur spiritus instar fulminis, atque inde *fuga, cursus, dejectio, incurvatio &c.*

IV. *Pudor* hoc habet, ut *ruborem* genis conciliet; oritur enim pudor *partim ex desiderio* vitandi præsentem infamiam, unde sanguis e partibus interioribus ad cor, & inde magno impetu ad faciem, extremasque, quæ in vultu sunt, arteriolas impellitur, *partim* vero *ex metu* vituperii, qui impedit, quo minus idem ille sanguis per venulas ad cor redeat, proinde in facie restagnans *ruborem* efficit.

V. In *reverentia* observatur *vultus severus, oculi demissi, & tota facie quasi metus & tristitia depicti, sæpe genua flectuntur, manus complicantur, attolluntur brachia curvo quodam flexu, & nonnunquam suspiria ducuntur cum voce lamentabili interrupta*; fiunt autem *suspiria*, cum pulmones fere sanguine destituuntur, & quædam imaginatio spei orificium arteriæ venosæ aperit.

§. 9.

Singularia, quæ hic notari merentur, sunt.

I. Dictæ passiones impr. *spes & metus ratione temperamenti in hominibus magnopere variant.* Illi enim,

enim, quibus suppetit magna sanguinis & spirituum copia, ut usu venit *juvenibus, sanguineis, bilosis &c.* spem facile concipiunt, ac quælibet judicia ad justificandam spem formant. Alii vero, quibus spiritus agitati desunt, ut *senes, melancholici, phlegmatici &c.* ad metum feruntur, hinc difficultates insuperabiles ubique imaginantur, & judicia omnia ad excusandum metum formant. Neque tamen cuncta in hoc genere meris causis materialibus adscribimus, sed etiam menti ratiocinanti aliquid tribuimus: ita senum inclinatio ad *metum*, partim *ex cognitione imbecillium suarum virium*, partim *ab experientia casuum*, qui intervenire & rem difficilem reddere possunt, dependet: & vicissim Juvenum inclinatio ad *spem* & *audaciam* oritur partim *e virium suarum præsumtione*, partim *ex inexperientia & ignorantia difficultatum*, quæ intervenire possunt. Unde generaliter *Inexperti audaciores sunt.*

II. Nonnulli illa gaudent natura, *quod facile sperent & facillime metuant, ac a spe ad metum, a metu ad spem reciprocante æstu propellantur:* quæ fluctuatio imbecillioris judicii signum est & in feminis ingeniisq; phantasticis deprehenditur.

III. *Spes & audacia se mutuo inflammant;* Etenim ratione consecutionis bonorum & amovendarum difficultatum, *audacia spem generat*, sed quo quis per spem magis in bono futuro lætatur, eo fit audacior, & sic *spes audaciam accendit.*

IV. *Excedenter sperantes, si spe cadunt, acerrime dolent*, & *odio prosequuntur omnes, qui spem illis primo fecerunt, quam deinde præstare nequeunt*, prudenter itaque agunt, qui aliis non certam rei adipiscendæ spem faciunt.

§. 10.

Ut dictarum passionum omnium naturales *fines* exponamus jam sequitur: & quidem,

I. Usus generalis *spei* est, ut sit *naturalis stimulus ad bonum*; specialis vero; (1) ut sit *stimulus ad alacritatem in agendo*. Deme modo illam rebus plurimis ut agriculturæ, mercaturæ, studiis &c. & simul animam adimes; (2) *Ut malorum præsentium acrimoniam temperet*, quo fit, ut summe miserrima mancipia & captivi cupidine vivendi trahantur, proinde merito *Lenimen malorum* nonnullis vocatur; (3) *ut animum semper erigat & obfirmet, ne malis præsentibus despondeat*: tolle enim spem, nemo victus arma retentabit, nemo naufragium passus navi confidet, quapropter S. Paulo *spes, vitæ anchora*, appellatur, siquidem *in spe bonorum & patientia malorum totum vitæ nostræ spatium transit*.

II. Usus generalis *metus* est, ut sit *naturalis cautela & admonitionis genus ad disponendum nos, ut rite mala effugiamus*. Specialis vero usus est, *ut sit instrumentum prudentiæ*, cujus præcipuum munus est *circumspecte agere & scire cavere mala imminentia*, unde veritas proverbii: *Matrem timidi non flere* intelligitur, & ratio patet, *quare meticulosorum consilia plerumque saniora, & homines*

aff-

audaces non in consiliis dandis, sed iisdem actuosa prudentia exsequendis sint adhibendi; utilissime itaque in consiliis tam bellicis quam civilibus observari poterit, *ut timidiora & audaciora ingenia sibi invicem adjungantur* & cum *senes* ad timorem, *juvenes* vero ad audaciam inclinent, illis in *consulendo*, his in *agendo* uti juvabit. *Specialissimus usus* spei & metus in eo consistit, *ut sint media, quibus felicitas Reipubl promovetur*, etenim spe præmii & metu pœnæ cives in officio continentur, & a turbanda Reip. tranquillitate absterrentur, proinde prudentia a summo imperante exigit, ut *adæquatis præmiis & pœnis dictæ passiones in subditorum animis semper excitentur, atque sic feliciter res geratur.*

III. Usus *fiduciæ* est, *tranquillam reddere mentem circa futura bona*; Quando enim definimus per spem & metum mentem inquietare, hæc beatitudini suæ est restituta.

IV. Usus *audaciæ* est, ut sit stimulus *ad excitandam actuositatem & virtutem nostram.* Cum enim bona futura, ut virtus, victoria, eruditio &c. variis impedimentis circumsepta sint, non sufficiebat, nos mere per spem in eorum contemplatione lætari, sed opus erat per audaciam excitari, ut, perruptis obstaculis istis, nos cum bono sperato conjungamus; unde veritas proverbii: *Audaces fortuna juvat.*

V. Usus *desperationis*, quatenus mera negatio spei est, eo tendit, ut *sistat lætitiam & tendentiam nostram circa boni consecutionem*, ubi illud mere im-

possibile esse advertimus, ast quatenus est summus metus gradus, data est, ut sit *stimulus efficacissime pungens ad ultimum conatum adhibendum, ut mala vel declinemus vel superemus*; atque hinc patet, quomodo desperatio *audaciam* producat.

VI. Usus *verecundiæ seu pudoris* est, ut *sit stimulus ad decore & honeste peragenda omnia, ac retinaculum, quo animi generosi cohibentur, ne aliquid dictu vel factu indecorum admittant*; quinimo hæc passio est *custos omnium virtutum*, huic enim judices suam integritatem, milites suam fortitudinem, feminæ suam castitatem debent &c. custode itaque hoc remoto homines in omnia vitiorum genera citato cursu ruunt.

VII. Usus *reverentiæ* est, ut sit *stimulus naturalis ad peragenda ea, quæ superior legibus nobis injunxit*, hinc includitur in idea obligationis, quæ ex cognitione legis in subjectorum animis exsurgit.

§. II.

Sed proh dolor sæpe sæpius hic aberramus. Etenim

I. Abusus *spei* se exerit partim *ratione objecti*, quando *speramus res illicitas, vanas, mereque impossibiles*, qualis est spes furum, scortatorum, qui scelerum suorum eventus feliciores sibi pollicentur, item spes Medicorum inveniendi medicinam universalem; partim *ratione gradus*, si *spes non est commensurata objecto*, sed vel in *defectu* vel *excessu* peccatur.

II. Abu-

II. Abusus *fiduciæ* dicitur *Securitas*, quæ est *fiducia temeraria cum nostri damno conjuncta*, siquidem erroris in cognoscendo, & periculorum in agendo occasio existit.

III. Abusus *audaciæ* vocatur *Temeritas*, quæ est *audacia sine ratione, quando homines non satis metiuntur suas vires & mala obstantia, vel proportionem inter bona, ad quæ contendunt, & pericula, quibus se exponunt, non rite ineunt.* E. g. cum Principes præliis minoris momenti se immiscent.

IV. Abusus *metus* appellatur *Meticulositas*, quæ est *metus vanus ob mala apparenter talia, & nunquam exstitura*, vel *quando nulla inter malum, quod imminet, & metum, quo nos torquemus, est proportio.*

V. Abutimur *desperatione*, si *ubi adhuc spei fundamenta supersunt desperamus*, insignis etiam ejus abusus est, *si in rebus fidei desperamus*, nam uti desperatio in rebus naturalibus sæpius est innocens & bona, ita in spiritualibus semper est vitiosa; etenim in iis spes propriis viribus innititur, quibus deficientibus sæpe juste spem acquirendi bonum aut declinandi malum abjicimus; in his vero spei fundamentum est divina potentia & gratia, quæ semper sufficiunt, semperque sperare jubent.

VI. Abutimur *verecundia*, (1) si degenerat *in pudorem rusticum de re honesta & decora, ac quæ nullam turpitudinis vel infirmitatis argumentum continet* (2) *Si plane non est proportionata cum objecto indecoro & vitioso.*

VII.

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Abusus *reverentiæ* est, si degenerat in *Superstitionem*, quando sc. *obsequiosa subjectione & existimatione favoris impetrandi gratia prosequimur rem iis omnibus indignam.* E. g. cultus quo Pontificii proseqvuntur sanctos eorumque reliquias.

§. 12.

Remedia dictis excessibus tollendis inservientia notamus sequentem in modum.

I. *Abusus spei incertæ ac vanæ evitabimus*, si consideramus, quod *hujusmodi spei plerumque anteambulo stultitia, comes curæ, pedissequæ infelicitas sit, quodque futura imprudenter sperantibus sæpius præsentia dilabantur*, accedit *vitæ nostræ brevitas, quæ spem longam vetat inchoare.*

II. *Securitatem* evitabimus, si perpendimus, *rebus mundanis nil certi inesse, ac hominum fidem sæpissime fallere, ideoque prudenter agere illos, qui secundis rebus nimium haut confidant, videantque cui fidant.*

III. *Temeritatem* fugiemus, si *moderatam de nobis opinionem concipimus, viresque nostras cum rebus, quas tentaturi sumus, accurate comparamus*, quo etiam facit, si nobis ob oculos ponimus *tot exempla illorum, qui temeritatis suæ pœnas graves luerunt, perdendo præsentem ac futuram vitæ felicitatem.*

IV. *Meticulositatem* abjiciemus, cogitando, *maximam esse stultitiam metuere mala, quæ nulla sapientia aut potentia nostra avertere poterimus, eo ipso enim efficiemus, ut malum, priusquam venit, sentia-*

Landesbibliothek Oldenburg

tiamus. Recte enim Seneca: *Stultum,* inquit, *est præsens tempus futuri mali metu perdere, & quia quandoque sis futurus miser, jam miserum esse.*

V. Desperationis excessus evitatur, si considerabimus, *quod facillime adversa fata in secunda divinæ providentiæ ope commutari possint, sæpiusque exinde salus, unde ruina timebatur, imminere soleat.* Adversus *desperationem de bonis spiritualibus* saluberrimum præbebit remedium *clementiæ divinæ magnitudo, & divinarum in Sacris litteris promissionum veritas, quibus peccatoribus etiam maximis, modo serio pœnitentibus, spes veniæ ostenditur.*

VI. *A pudore rustico* nos liberabit *commercium cum honestis & generosi animi hominibus, qui actionem laude dignam peragere nunquam erubescunt.*

VII. Contra *Superstitionem* medela paratur, si considerabimus, *illos esse mentis vilissimæ & abjectissimæ, qui obsequiosa subjectione prosequuntur rem, quæ prodesse & nocere nequeat.*

CAP. VI.
De
Lætitia & Tristitia.

§. 1.

LÆtitia est *jucunda animæ commotio, cum motibus sanguinis ac spirituũ commensuratis titillalationẽque excitantibus conjuncta, ob bonũ præsens, quod ut suũ*

concipit; si quando bonum præsens est tantum *privative tale*, notans malum præteritum, excitat *Hilaritatem*. Contra *Tristitia* est *injucunda animæ commotio, orta e sensu mali præsentis, aut contemplatione boni amissi, quod possideri diutius poterat, conjuncta cum motibus spirituum disproportionatis & vellicantibus.*

§. 2.

In *lætitia* non tam agunt nervi lienis, jecoris, aut intestinorum, quam qui sunt in reliquo corpore, imprimis autem illi, qui circa orificia cordis sunt, & illa aperiendo vel dilatando facilitatem suppeditant sanguini, solito majori copia cor subeundi, & ex illo egrediendi, cujus particulæ, cum eo ipso subtiliores evadunt, ad titillationem excitandam, suavesque impressiones formandas sunt aptæ. At in *tristia* orificia cordis valde contrahuntur per nervulum, quo circumdantur, inde accidit, ut parum sanguinis modo cor subeat, paucioresque spiritus gignantur, proinde partes exteriores sanguine & spiritibus fraudatæ tabescunt, & corpus vitales suas functiones rite obire desinit.

§. 3.

Lætitiæ & tristitiæ variæ sunt species.

1. *Lætitia* vergens erga *nos ipsos*, dicitur *Acquiescentia* sive *Laeta conscientia*, estque nil aliud quam *plausus animæ recte-factorum conscientia exultantis*: quando vero lætor ob *laudem* ab aliis ob bene acta mea acceptam, vocatur *Gloria*. Sed *Tristitia* vergens erga *nos ipsos*, dicitur *Morsus con-*

conscientiæ sive *Contritio*, estque nil aliud quam *tristitia ex irrationalis facti conscientia orta*; eadem vero conjuncta cum *voto*, *ut res illa infecta esset*, appellationem *Pœnitentiæ* suscipit.

2. *Lætitia* relata *ad alios*, dicitur *Congratulatio*, estque nil aliud quam *lætitia orta ex bono, quod illi, quem eo dignum arbitramur*, *evenisse cognoscimus*. Sed *Tristitia* relata *ad alios*, dicitur *Commiseratio*, estque nil aliud quam *amore mixta tristitia*, *orta ex cognitione mali*, *quo indignos conflictari videmus*, eadem conjuncta *cum conatu alium ex illo malo eripiendi*, vocatur *Misericordia*.

§. 4.

Dantur adhuc tristitiæ species, e cognitione bonorum in aliis deprehensorum ortæ, videlicet.

I. *Tristitia de hostium capitalium & publicorum secunda fortuna*. Sic enim nostram pessundari credimus.

II. *Tristitia e bonis aliorum*, *quos his ipsis indignos judicio recte conformato*, *reputamus*, ac nomine *Indignationis* insignitur. E. g. cum malis præ bonis, immeritis præ meritis, honores & opes contingere videmus. Tristitia hæc si est rationalis provenit *ex amore justitiæ*; indignantes enim dolent partes *tertii*, quoniam si in officio alter male versatur, alter injuste patitur.

III. *Tristitia*, *quæ virtutis & potentiæ in aliis observatæ contemplationem*, *& propriæ imperfectionis considerationem sequitur*, ac sub nomine *æmulationis* venit, semperque conjuncta est cum *tendentia & desiderio bonis ejusdem generis fruendi*.

Passio hæc est *cos ingeniorum insignisque ad virtutem & facta egregia stimulus:* ubi tamen cavendum, *ne æmulatio nostra se ad bona apparenter talia extendat, aut cum invidia conjungatur.*

§. 5.

Objectum formale lætitiæ & tristitiæ est *bonum & malum præsens*, vel qua *præsens spectatum.* Per hoc differunt ab omnibus præcedentibus passionibus, uti rem perpendenti facile patebit.

§. 6.

Progredimur ad *Characteres.* Qui sunt *læti*, eorum *membra ad saltum, vox ad cantum, lingua ad garrulitatem, & omnes sensus ad capiendam voluptatem disponuntur.* Præcipuum autem lætitiæ signum est *risus*, hic consistit in eo, quod ob cogitationem objecti ludicri liquor e liene proveniens sangvinem in dextro cordis ventriculo existentem rarefaciat, qui per venam arteriosam pulmones intrans eos subito inflat, ac iteratis vicibus efficit, ut aër cogatur exire cum impetu per arteriâm asperam, in qua vocem inarticulatam & sonoram format. Dum autem pulmones sunt inflati simul impelluntur omnes musculi diaphragmatis, pectoris, & gutturis, ac mediantibus his quoque musculi vultus, qui aliquam cum illis connexionem habent. Atque hæc sola vultus actio cum illa voce sonora *risus* nuncupatur. Qui vero sunt *tristes*, illi in *singultus* ac *gemitus & fere semper in lacrymas erumpunt* : quando enim glandulæ lacrymales in canthis oculorum

&

& interiori palpebrarum membrana ſitæ,(quæ alias tantillum humoris pro humectatione in oculos emittunt,)in triſtitia nervos contrahente premuntur, copioſam aquam exſtillant, donec humidum defecerit, aut glandulæ obſtruantur. Unde ſimul intelligere eſt, *qui fiat, quod infantes, mulieres, & qui fœcundum calicem aſſumſerunt, copioſius & facilius lacrymentur*, horum enim ſanguis eſt ſeroſior.

§. 7.

Singularia notatu digna ſunt.

I *Quod ſæpe eveniat, ut nos lætos vel triſtes ſentiamus, quamvis bonum vel malum, unde effectus illi dependeant, definire haut poſſimus.* Nam ſæpe bonum vel malum impreſſiones ſuas facit in cerebrum absque opera animæ, E.g. cum plena fruimur ſanitate, & cum cœlum ſolito ſerenius aerque purior eſt, ad *hilaritatem*, propendimus, eodemque modo ad *triſtitiam*, cum corpus non bene ſe habet, licet id male ſe habere neſciamus.

II. *Quod ſtupor e vehementi & ſubita lætitia profluens periculoſior, quam qui e ſubita triſtitia ortum trahit, adeo cum uterque lipothymiam producat, ille non raro exitialis ſit.* Etenim in repentina & acriori lætitia, ignis vitalis in corde gyrans, per nimium ſanguinis & ſpirituum confluxum ad cor, non ſolum obnubilari (unde *lipothymia*,) ſed plane opprimi poteſt, atque ita necem ipſam inferre. At triſtitia ſubitanea retardat quidem ingreſſum ſanguinis in cor,

(unde *Lipothymia*) quia tamen aliquid sanguinis viscosæque ac oleosæ materiæ semper in corde superest, qua ignis sustentetur, non tam facile mortem subitaneam afferre potest.

III. *Quod mala tristia præterita haut raro afferant lætitiam*, quia concipiuntur ut causæ præsentium bonorum, *& quod bona grata præterita sæpe tristitiam in nobis excitent*, quia ut causæ præsentis mali imaginantur.

IV. *Quod ad commiserationem videantur aliis propensiores, qui se debiles valde sentiunt, & adversæ fortunæ obnoxios*; Etenim imaginantur alienum malum ceu quod sibi quoque queat evenire, proinde etiam, qui similibus malis assueti sunt, magis sunt misericordes, siquidem malũ, quod quis minus expertus est, minus quoque metuit, ideo *& eorum, qui criminum pœnas dant, parũ miserescimus*, quia aut odimus delinquentes, aut in nobis esse credimus, ne in simile peccatum incidamus. Itaque etiam, *quod eorum, qui æternum cruciari apud inferos dicuntur, nemo miserescat*, ratio esse potest, vel quia non credimus idem posse accidere nobis, vel quia imaginatio nostra cruciatus illos non satis fortiter concipit, vel quia, qui hæc ita docent, non ita vivunt, acsi ipsi idem credant.

§. 8.

Usus lætitiæ est, ut sit *condimentum boni, cujus suavitate mentes & corpora suo modo alliciantur & quasi versus bonum trahantur.* Si enim boni possessio absque lætitia esset, non magis quis

bono

bono frueretur, quam qui eo prorsus careret; Unde *qui in re sua tenui lætantur, re ipsa ditiores & feliciores sunt illis, quos bonorum copia non potest satiare, & metus conservationis* angit. *Usus Tristitiæ* est, ut sit *avocamentum a malis & destructivis.* Sustinet præterea *vicem naturalis pœnæ circa mala culpæ præterita: Circa futura autem est cautelæ genus & præservativum naturale: Circa mala actu præsentia est stimulus ad continuationem circa objecta mala abrumpendam.* NB. Quodsi usus tristitiæ & lætitiæ inter se comparamus, deprehendemus, *tristitiam laetia quoad effectus morales utiliorem esse;* (1) *quia laetitia nos mere cum bono unit; tristitia vero nos a malo separat, & simul cum opposito bono unit,* (2) *quia laetitia mentem plane exsolvit & levitatis mater existit; tristitia vero mentem quasi ligat & continet, ne evagetur.* Interim tamen *ob effectus physicos laetitiam potius quam tristitiam in nobis conservare expediet.* Etenim lætitia naturæ commensurata *dilatat cordis orificia, sanguinis circulationem promovet, respirationem reddit liberiorem ignisque vitalis vim ac spirituum nobilitatem auget, ita ut nulla passio sanitati magis inserviat:* his omnibus contraria in tristitia contingunt, *haec orificia cordis contrahit, motum sanguinis impedit, & sic frigus corpori conciliat, praeterea mentis vires uti pthysis corporis vigorem enervat, omniaque mala unice mediante hac passione animum cruciant ac turbant.*

§. 9.

Aberrat lætitia *ratione gradus,* dum in excessu vel

vel defectu peccat, imprimis autem *ratione objecti*, quando *in aliorum nobis haut contrariorum malis laetamur*, qui excessus Græcis dicitur Επιχαιροκακια. Cum hac lætitia non est confundenda illa, *quae ex infortunio inimicorum publicorum oritur*, horum enim clades citra crimen cum gaudio excipimus. A vitio Επιχαιροκακιας etiam differt *irrisio*, quæ est *laetitia*, *quam excitat leve malum*, *quod indigno accidisse putamus*. Datur adhuc alia species *irrisionis*, *e contemtu rei quam odimus aut metuimus*, *ortum trahentis*, quæ maxime irrationalis est.

§. 10.

Aberrat tristitia ratione *gradus*, dum vel in excessu vel defectu peccat, imprimis autem ratione *objecti* illa abutimur, *si in bonis aliorum tristamur*, qui excessus vocatur *Invidia*; nulla autem passio magis irrationalis, & ingeniosius suum auctorem excruciat quam *invidia*, hæc enim *Argus est ad videndum aliorum fortunium*, *talpa cœcior in proprio*; *haec credit omnia*, *quae in aliis videt*, *ei deesse*, *ac dum sic aliorum felicitatem elevat*, *propriam miseriam multiplicat*. Quod autem vulgo ajunt, *invidiam virtutis comitem vel umbram esse*, parum accurate sentiunt, sensus enim tristitiæ, qui invidiæ nomine venit, non *ad virtutis sed mere praemiorum virtutis* contemplationem in aliis nascitur, ita ut, etiamsi illa vitiis adepta sint, his æque invidus moveatur. Proinde *pauperi virtuoso*, *erudito ingloriam vitam trahenti nemo invidet*, *sed adde virtuti divitias*, *honores*,

nires & invidos numerabis. Ratio diversitatis est, quoniam invidus in præmiis virtutum credit, nil quod ipse obtinere queat, remansurum esse, hoc autem in *virtute* locum non habet; etenim quamvis *illam plurimi possideant, nil obstat, quominus & reliqui eam consequi possint.* Characteres invidiæ eleganter describit Ovid. Metam. Lib. II. fab. 16.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes:
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno
Risus abest, nisi quem visi movere dolores. &c.

§. 11. Remedia erunt

1. Contra *lætitiam immoderatam, vanam & impiam;* si illam rerum tristium interjectione mortisque memoria coërcemus, & perpendimus, *ejusmodi gaudia effrenata haut esse sincera, sed fugacia, gravioremque post se dolorem trahere.*

2. Contra επιχαιροκακιαν; si cogitemus, eam esse partim *affectum diabolicum*, *siquidem Satanas e hominum pernicie sibi unice gaudium quærit*, partim *affectum stolidissimum, qui enim aliorum calamitatibus insultat, efficit, ut si simile quid ipse accidat, & alii ideo glorientur*, semper itaque animo volutandum: *quod tibi non vis fieri, nec alteri feceris.*

3. Contra *immodicam tristitiam;* si reputamus, *neminem unquam per mœrorem ab incumbente malo se liberasse, sed illud potius duplicasse*, imprimis expediet *in adversus casus præparatio atque obfir-*

natio, bene enim *Epictetus* monet, *si vis tristitia vacare, quæ futura sunt sic æstima, veluti jam accidissent, tela enim prævisa minus nocent.*

4. Contra *invidiam*; si consideramus, *invidos homines nil aliud quam sui ipsorum esse tormenta, propriasque afflictiones illis, quibus invident, sæpe cedere in bonum.*

CAP. VII.
De
Ira & Benevolentia.

§. 1.

ULtimum locum occupant passiones omnium maxime compositæ, ira sc. & benevolentia. *Ira* est *acerrima commotio mentis & spirituum, e præsentia mali cum injuria contemtu & dolore conjuncti orta, hominemque ad illud ulsciscendum adigens.* Mixta est hæc passio *ex amore sui, tristitia, odio, aversatione & cupiditate depellendi ac repellendi mali*; his enim passionibus efficitur, ut magnopere agitetur sangvis bilosus, qui e liene jecorisque venis provenit, ac cor ingreditur, in quo propter copiam & naturam bilis, quam admixtam habet, excitat calorem longe asperiorem & ferventiorem: Iræ e diametro opposita est *Benevolentia*, hac intelligimus *extraordinariam quandam commotionem in mente & corpore existentem, qua ad referendum bonum ei, a quo boni quid in nos profectum est, trahimur.* Passio hæc est composita ex *amore, lætitia,*

ac

ac desiderio bonum referendi, cujus motus ob adjunctam imprimis lætitiam multo leniores quam motus iræ sunt.

§. 2.

Ab ira differt *vindicta*, illa enim est repentina & affectus transiens, hæc vero est *constans ac diuturna voluntas alicui male faciendi, eo fine, ut illum illatæ nobis injuriæ pœniteat, vel alii ab injuria inferenda absterreantur, atque sic nostræ securitati consulatur.* Illa autem cupido lædendi aliquem, *ut ex ejus malo voluptatem capiamus*, dicitur *Atrocitas.* Quodsi autem malum illud *non nobis, sed aliis similis nobiscum conditionis aut nostris amicis infligitur*, impellimur ad *zelum*, qui est *species iræ, qua naturaliter prosequimur eos, qui male agendo aliorum jura contra jus fasque violant.* Hac passione testamur, quam cara nobis sit justitia & virtus. Porro cum ira noli confundere, quod alias sub nomine *irasci*, germ. zürnen intelligere solemus, vel enim illo ipso denotamus nostram *ægritudinem*, germ. Verdrießlichkeit/ quam super aliqua re nobis incommoda experimur. Ita irascebatur Jonas, quod exaruisset cucurbita i.e. ægre ferebat: vel sub nomine *irasci* indigitamus, *vultum amicum alicui subtrahere*, germ. Maulen. Sic iis, qui nos injuste offenderunt, familiaritatem quam antea cum iis coluimus, denegamus.

§. 3.

A benevolentia etiam distingvendus est *favor*, qui est *cupiditas videndi bonum evenire bonis nostrique similibus, quinimo iis omnibus, erga quos bo-*

na trahimur voluntate; naturali enim impulsu favemus eis, qui res quas judicamus bonas patrant, etiamsi nil emolumenti inde ad nos redeat.

§. 4.

Peculiare *objectum* iræ est, *malum cum injuria ac contemtu conjunctum.* Etenim injuria & contemtus præter ipsam destructionem esse & bene-esse nostri, quam cum malis omnibus communem habent, supponunt etiam voluntatem nobis male faciendi vel directam vel obliqvam; quo patet, Deum supra iram nostram esse, bruta vero, infantes, fatui ac inanimes res infra iram humanam & rationalem esse. Benevolentiæ *objectum* peculiare est, *bonum voluntario & cum intentione nostrum bene-esse quocunque modo promovendi, collatum.*

§. 5.

Irascentium *indicia* sunt hæc. *Oculi flagrant, vultus minas spirat, multus ore toto rubor vel pallor exsurgit, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus & stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus & totum concitum corpus est.* His contraria omnia in *benevolentia deprehenduntur, sc. oculi ridentes, facies læta, frons hilaris, vox blanda.*

§. 6. Singularia sunt

I. *Quod secundum varia hominum temperamenta, nonnulli pallescant ac tremant cum irascuntur, alii vero erubescant vel lacrymentur.* Ubi vulgo censetur *ira eorum, qui pallent, magis metuenda, quam eorum,*

eorum, qui rubore afficiuntur. Cujus rei ratio eſt, quod, ubi nolumus aut non poſſumus nos aliter ulciſci quam vultu & verbis, explicemus omnem noſtrum calorem omnemq; noſtram vim ſtatim in principio ipſius commotionis, unde *rubor*; Quandoque autem commiſeratio noſtri ipſius, quod aliter nos ulciſci nequeamus, in cauſa eſt, ut *lachrymemur*. At qui e contrario ſe ſervant, & determinant majori ultioni, triſtes fiunt, quandoque etiam metuunt mala, quæ ſequi poſſent e conſilio ſuſcepto, quod primo obtutu eos reddit *pallidos, frigidos & trementes.* Sed ubi poſtea ſuam ultionem exſeqvuntur, eo magis incaleſcunt, quo frigidiores ab initio fuerant; ſicut videmus febres, quæ a frigore incipiunt, ut plurimum vehementiores eſſe.

II. *Quod ira nonnullorum ſit ſubitanea, & facile ſedari queat; aliorum vero lenta ac diu durans.* Iræ ſubitaneæ ſecundum Carteſium magis obnoxii ſunt *homines, qui multum amoris, bonitatis & averſationis habent*, hi enim putant, omnia debere eodem modo procedere, quem optimum judicant, quamprimum aliter evenit, inde offenduntur, dum etiam minimum bilis per averſationem excitatæ magnum in iis, ſangvineo temperamento præditis, commotionem excitare valet; verum motus ille parum durat, quia vis inopinatæ averſationis non continuat, & ſimul ac cognoſcunt, rem quare irati ſunt, non debuiſſe eos commovere, facti pœnitentia ducuntur, atque cum adverſario in gratiam redire cupiunt. Enim vero qui a tarde con-

cepta ira haut facile reducuntur, *illi laborant magna philavtia & odio vehementi*, quorum sangvis semel acriter commotus propter crassitiem perseverante odio non ita facile desinit, quemadmodum gravia corpora semel mota non ita facile ad quietem reducuntur. Proinde tales plerumque sunt irreconciliabiles, neque unquam cum iis, a quibus se offensos existimant, jacturam amicitiæ resarcire volunt, & si vel maxime cogantur, plerumque ipsis manet alta mente repostum.

III. *Quod fortes minus irasci soleant*, nam se contemni tam facile non credunt, quam debiles, & qui sunt propriæ infirmitatis conscii.

§. 7.

Usus iræ est, *ut sit naturalis stimulus ad defensionem & jus talionis exercendum, quo mala nobis illata malis aliorum exæquentur.* Quia autem jus actu referendi malum auctori mali non amplius privatorum est, sed Magistratui propter tranquillitatem publicam concessum, *ideo homines in societate civili constituti motus iræ cohibeant, & voluntati Magistratus subordinent, necesse est.* Ulterius procedit Theologia Moralis, quæ injurias non ira sed amore vindicandas docet. *Usus* benevolentiæ itidem est, *ut sit stimulus naturalis ad talionem, qua bonum pro bono reponatur.*

§. 8. *Aberrat* ira

I. *Si nimis facile in iram effervescimus, antequam sufficienter læsionis conditionem expenderimus*, vocatur hic abusus *excandescentia* seu *bilis.*

II. *Si nimis acri & violenta commotione ira in nobis ex-*

exsurgit, quo ipso corporis sanitas corrumpitur, mens vero sua beatitudine privatur, ac ad judicandum incapax redditur. Abusus hic vocatur *Furor*. Huc etiam refero *zelotypiam*, hac intelligo analogum *iræ*, *qua homo corripitur, quando credit personam amatam eodem vel arctiori vinculo amicitiæ, quo ipse solus potiebatur, alium sibi jungere*, oritur e nimia cupidine se conservandi in boni possessione, & admixtas habet infinitas alias passiones sc. amorem, diffidentiam, odium tristitiam, invidiam &c. proinde merito a plurimis *pro omnium violentissima passione* habetur, cujus violentiam S. Scriptura *inferno* comparat. Passio hæc eo magis est irrationalis, *quo plerumque nititur suspitionibus levisculis, ac in persona amata sinistre interpretatur eas actiones, quæ duntaxat imprudentes vel plane innocentes sunt.*

III. *Si nimis diu durat, & instar saporis amari molesta vellicatione nos afficit.* Abusus hic dicitur *Amarulentia.*

IV. Nonnulli inter abusus iræ referunt ἀοργησιαν, quæ est *totalis iræ vacuitas*, & in hominibus timidis, ignavis ac nullam sui curam habentibus deprehenditur.

§. 10. *Remedia* erunt

I. Contra *excessus iræ*; (1) si assidue meditamur *funestissima mala animi, corporis & fortunæ, quæ ab ira provenire solent.* (2) *Si versamur cum hominibus placidis & mansuetis.* (3) Si *probe perpendimus conditionem & animum eorum, a quibus nos offensos esse putamus; ubi deprehendemus, plerumque leves esse injurias ac per ignorantiam & incuriam*

erga

Landesbibliothek Oldenburg

erga nos commissas, quas alias pro maximis haberemus. (4) *Si credimus, iracundiam muliebre & puerile vitium esse, ac e diverso sapientem decere, non facile irasci, sed injurias magno animo contemnere.* Quodsi tamen citra opinionem ira occupaverit animum, utilissime adhibebitur (5) *Dilatio & mora, antequam ad agendum aut judicandum accedamus,* cunctando enim ejus fervor relangvescet, & caligo, quæ premit mentem, evanescet. Hinc Augusto Imp. Athenodorus Philos. hoc dedit consilii. *Cum iratus fueris, nil neque dixeris, neque feceris prius, quam viginti quatuor litteras alphabeti tecum ipse percurreris.* Christiano svadere possimus, ut *orationem Dominicam mente prius recitet.*

II. Contra *Zelotypiam*; si perpendimus *Zelotypum cum invido nil aliud lucrari, quam quod se ipsos frustra torqueant.* Vix enim fieri potest, ut quam e mera suspitione improbam veretur uxorem, istam sua cogitatione meliorem reddat; quin imo sæpe forte, quæ principio mala non erat, eam deinceps malam stolida sua passione efficiet, quandoquidem videns, se talem a marito haberi, e vindicta quadam & dolore, quod insons in suspicionem adducitur, non raro injustam Zelotypiam injustitia compensat. Optime itaque aget, qui in rebus tranquillitatem propriam promoventibus, est credulus, fiduciamque constantem in fide uxoris collocat, fidelem enim si putaverit, facile habebit aut efficiet.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg